IHS

THEOPHILI BERNARDINI

è Societate IESV

INSTITVTIO VITAE,

SIVE

DE OPTIMO VITÆ STATV CERTA DELIBERANDI VIA.

Editio ſecunda, aucta & emendata.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Balthaſarem Moretum, & Viduam
Ioannis Moreti, & Io. Meurſium.

M. DC. XXIV.

[illegible]

ADMODVM R^do DOMINO
PRÆSVLI
D. IOANNI
DV IONQVOY
MARCHIANENSIS
COENOBII ABBATI.

VIXDVM tenebricosis eruperat Libellus hic latebris, cùm ecce publico non assuetus, pauitare, circumspectare, occultus latitare ambigit: denique, opacos ignauæ obliuionis lucos repetebat, nisi implumi pullo Bona mens voce & consilio affuisset: Quid tu, pusille, trepidas? inquiebat: Patronum tibi adscisci-

to, Iuuentutis, Eruditionis, Virtutiſque peramantem, Comitate perbenignum, Auctoritate pollentem, qui neque tuæ indignetur popularitati, & tueatur infantiam, & longiùs ad plures euolandi inſpiret audaciam. Audiuit, bonæque matris conſultiſſimo ſanè conſilio blandiùs arriſit, properéque eiuſmodi quempiam ſibi demonſtrari roganti; Enimuerò, pergit Bona mens, tibi recèns excluſo danda venia; ſi, quod ſecundis rumoribus longè latéque fama vulgauit, necdum noſſe potuiſti. Quid iſtud? inquis. Quantum ad Iuuentutis in moribus atque doctrina eruditionem ſinceri deſiderij documentum, ijs ipſis quibus excludebaris die-

diebus, dederit Admodum Reuerendus Dominus D. IOANNES DV IONQVOY Marchianensis Cœnobij Archimandrita, quando post vltroneam prudentémq; plurium annorum deliberationem, conspirantibus cum sui Presulis voluntate Religiosis omnibus, suas in Academia Duacensi scholas, cùm situ loci, tum exędificationis accuratione, peropportunas & eximias, Societati IESV in perpetuum vtendas, & Philosophiæ elucidandæ dicandas tradidit? Illas ipsas, in quibus aliquando cùm iunior esset, non sine singulari ingenij laude Philosophiæ Professor assedit; nec minore deinceps prudentia vniuersas ręxit, quasi iąm ex illo,

maioris atq; ſacratioris,qua nunc perfungitur, Præfecturæ rudimenta poneret. Celſarum id eſt mentium, vt à primordiis ad extremum vſque clareſcant. Huic ſupplex accide, clientelam deuoue, nec indubita, fauore non deſtituet, ſed & fronti tuæ inſcriptum tantum Nomen, faciles & fauentes (quod exambis) philoſophorum adoleſcentium conciliabit manus & oculos.

Plura Mens parabat; ſed confeſtim probè conſulentis voci obſequitur, ſe totum Tutelæ commonſtratæ committit hic Liber: qui ſi mole, ſi eruditione minor, at fine & argumenti vtilitate non in poſtremis erit.

Cumque id ſpectet maximè,

vt flores illi virtutum, qui prima ex adoleſcentia copioſiùs exuberant, in malignum tranſlati ſolum non contabeſcant, ſed eas nanciſcantur areolas, vbi terræ felicitate, peritia cultorum, Solis & cæli benignitate, ſacrandos æternitati fructus largiter proferant: hic autem vnus, vel certè longè digniſſimus ſit eruditionis, & ſcholarum ſcopus: Tuam, Ad^um^ R^de^ DOMINE, auctoritatis prærogatiuam implorat, ſibi vt liceat in eam diuinæ gloriæ; ſalutiſque, atque ſingulorum perfectionis metàm contueri, in quam & tùa ſtudia omnia, & illius tui præcellentis Gymnaſij exſtructio collimant.

Interim & hîc aliquam grati-

tudinis tesseram habes, & publicam Societatis nostræ sponsionem, fore semper vt Nostri homines, omni ope & industria nitantur, rebus ipsis affirmare quod perhonorificum de illis iudicium tulisti, quando tuarum Scholarum iuuentutem moribus imbuendam, doctrina excolendam, fidenter ei tradens, rem tum illi ætati, tum reipublicæ, tum diuinæ gloriæ vtilem facere credidisti. Faxit benignissima Dei boni largitas, vt expectationi Tuæ, tantíque muneris dignitati nulla vmquam desit posteritas: sed & Tuam Admodum Reuerendam DOMINATIONEM copioso fauore prosequatur, vt aliquando serus, multísque quà præclarè

ex-

excogitatarum, quà feliciter perfectarum rerum promeritis grauis, ad cæleſtia coronandus euehаris. Inſulis II. Febr. M.DC.XXIV.

ADMODVM R^DAE D. T.

Humilis in Christo ſeruus

Theophilus Bernardinus.

AD LECTOREM.

Stadium, vel nauigatio hæc vita.

CVM hæc humana vita, Lector beneuole, vel stadij vel nauigationis instar sit, nihil profectò æquius, quàm vt locum modumque certaminis, si modò arbitrij nostri fuerit, ad victoriam opportunum deligamus; nauem item sic firmam, sic instructam, vt insanientis Oceani procellas despectare secura poßit. Quis, nisi vitæ prodigus, velit inermis, & solis pacis artibus assuetus, aduersus armatum, virúmque bellis innutritum, in certamen singulare descendere? Quis fatiscenti rati, ipsóque in portu vix aquis exstanti, prælongâ incertáque nauigatione, res, fortunas, salutémque committat? Atqui tunc in media pericula, in saltus ab hostibus vndique insessos, in concursuras irruimus incauti symplegadas, quando casu, quando præcipiti impetu, in quoduis vitæ genus rapimur, priúsque quàm nos ipsi respexerimus, tempestatibus obuoluimur, irretimur angustijs, periculis obruimur.

Prouidè cauendum.

In quam tantam te incidisse calamitatem

tem ne deprehensus aliquando lugeas; en Scriptiunculam profero, quæ dirigendæ in rectiorem viam deliberationi de Statu vitæ proderit. Cuius quantum sit momentum, vt ab ipso limine coniicias, proferam quid natura duce docuerit Cicero; vtq; mireris magis, omnino è verbis nihil emutabo. Is igitur vitæ præcepta tradens, & nisi hoc posito non posse quidquam ritè constitui videns, hac de re tota sic disserit: *Canitur electione vitæ.*

Vt in corporibus magnæ dissimilitudines sunt (alios enim videmus velocitate ad cursum, alios viribus ad luctandum valere; itemque in formis, aliis dignitatem inesse, in aliis venustatem) sic & in animis existunt etiam maiores varietates. Erat in L. Crasso, & L. Philippo, multus lepos: maior etiam, magisque de industria in C. Cæsare Lucij filio. At iisdem temporibus in M. Scauro, & in M. Druso adolescente, singularis seueritas: in C. Lælio multa hilaritas; in eius familiari Scipione ambitio maior, vita tristior. Dulcem, facetum, festiuique sermonis Lib. 1. de Offic. *Corporum & animorum varietates.*

monis Socratem accepimus: contrà Pythagoram & Periclem summam auctoritatem consecutos sine vlla hilaritate. Callidum Annibalem & Q. Maximum accepimus, facilè celare, tacere, dissimulare, insidiari, præripere hostium consilia. Sunt his alij multùm dispares, simplices & aperti, qui nihil ex occulto, nihil ex insidiis agendum putant, veritatis cultores, fraudis inimici. Itemque alij qui quidvis perpetiantur, cuiuis deseruiant, dum quod velint consequantur. Itemque in sermonibus, alium quidem videmus, quamuis præpotens sit, efficere, vt vnus de multis esse videatur; alium nullam comitatem habere sermonis. Innumerabiles aliæ dissimilitudines sunt naturæ, morũque, minimè tamen vituperandorum. Admodum autem tuenda sunt sua cuique, non vitiosa, sed tamen propria; quò faciliùs decorum illud, quod quærimus, retineatur.

Cuiq; sua tuenda.

Sic enim est faciendum, vt contra naturam vniuersam nihil contendamus:

mus: ea tamen conseruata, propriam naturam sequamur: vt etiamsi sint alia grauiora atque meliora; tamen nos, studia nostra, naturæ regulâ metiamur. Neque enim attinet repugnare naturæ, nec quidquam sequi quod assequi nequeas.

Inde æquabilitas. Omnino, si quidquam est decorum, nihil est profectò magis quàm æquabilitas cùm vniuersæ vitæ, tum singularum actionum: quam conseruare non possis, si aliorum naturam imiteris, omittas tuam. Vt enim sermone eo debemus vti qui notus est nobis; sic, in actiones omnémque vitam, nullam discrepantiam conferre debemus.

Inde decorum. Id maximè quemque decet, quod est cuiusque suum maximè. Suum igitur quisq; noscat ingenium, acrémque se & vitiorum & bonorũ suorum iudicem prębeat; ne Scenici plus quàm nos videantur habere prudentiæ: illi enim non optimas, sed sibi accommodatissimas fabulas eligunt: *qui voce freti sunt, clamosas; qui gestu, actuosas*. Ergo histrio

histrio hoc videbit in scena, quod non videbit sapiens in vita? Ad quas igitur res aptissimi erimus, in iis potissimùm elaborabimus. Sin aliquando necessitas nos ad ea detruserit, quæ nostri ingenij non erunt; omnis adhibenda erit cura, meditatio, diligentia, vt ea si non decorè, at quàm minimùm indecorè facere possimus: nec tam est enitendum vt bona quæ nobis data non sūt sequamur, quàm vt vitia fugiamus.

In necessitate quid cauendum.

De vitæ genere in adolescentia deliberandum.

In primis constituendum est, quos nos, & quales esse velimus, & in quo genere vitæ: quæ deliberatio est omnium difficillima. Ineunte enim adolescentia, cùm est maxima imbecillitas consilij, tunc id sibi quisque genus ętatis degendæ constituit, quod maximè adamauit. Itaq, antè implicatur aliquo certo genere cursuque viuendi, quàm potuit, quod optimum esset, iudicare.

Et quidem prima pubertate Herculis exemplo.

Nam quod Herculem Prodicus dicit, cùm primùm pubesceret (quod tempus à natura, ad deligēdum, quam quisque viam viuendi sit ingressurus,

datum

datum eſt) exiſſe in ſolitudinem, atque ibi ſedentem diu ſecum multumque dubitaſſe, cùm duas cerneret vias, vnam voluptatis, alteram virtutis, vtram ingredi melius eſſet: hoc Herculi, Iouis ſatu edito, potuit fortaſſe contingere: nobis non item, qui imitamur quos cuique viſum eſt, atque ad eorum ſtudia inſtitutaq; impellimur: plerumque autem parentum præceptis imbuti, ad eorum conſuetudinem moremque deducimur. Alij multitudinis iudicio feruntur, quæque maiori parti pulcherrima videntur, ea maximè exoptant. Nonnulli tamen ſiue felicitate quadam, ſiue bonitate naturæ, ſiue parentum diſciplina, rectam vitæ ſecuti ſunt viam. Illud autem maximè rarum genus eſt eorum, qui aut excellente ingenij magnitudine, aut præclara eruditione atque doctrina, aut vtraque re ornati, ſpatium etiam deliberandi habuerunt, quem potiſſimùm vitæ curſum ſequi vellent.

Caſu multi, rari deliberatione ad vitæ genus feruntur.

In qua deliberatione, ad ſuam cuiuſque

que

Quid maximè ſpectandum.

que naturam, conſilium eſt omne reuocandum. Nam cùm in omnibus quæ aguntur, ex eo modo quo quiſque natus eſt (vt ſuprà dictum eſt) quid deceat exquirimus: tum in tota vita conſtituenda, multò eſt huius rei cura maior adhibenda, vt conſtare in vitæ perpetuitate poſſimus nobiſmetipſis, nec in vllo officio claudicare.

Conſtantia, niſi error deprehenditur.

Qui igitur ad naturæ ſuæ non vitioſæ genus, conſilium viuendi omne contulerit, is conſtantiam teneat: id enim maximè decet; niſi fortè ſe erraſſe intellexerit in deligendo genere vitæ. Quod ſi acciderit (poteſt autem accidere) facienda morum, inſtitutorumque mutatio eſt.

Ita Cicero, quæ Chriſtianis, caſu & temerè, ad vitæ Inſtituta varia prouolantibus, pudorem incutiant: & quidem qui naturam ſpectabat ſolam, qui ſolo caliginoſæ naturæ lumine ducebatur, qui ſolis in incertumque nutantibus humanæ prudentiæ placitis nitebatur, quid erat ille dicturus, ſi in diuino lumi-

lumine lumen vidisset, si æterna prospectasset, si cælestis fauoris varia in variis vitæ generibus adiumenta discriminare potuisset? Illuxit tibi Christus, hoc potes, & facilè potes; vtq; faciliùs possis, hæc tibi, Lector optime, compendiosiùs, è fusiore, sed vernacula lingua conscripto tractatu, pro meo iure contraxi, multa prorsus intacta omisi, arctaui non pauca, quædam non minùs fusè planeque exposita reliqui, tuæ vnius vtilitatis, & commodioris vsus rationem habens. Non defuerunt qui vt latiùs plura diducerem, persuadere niterentur: sed adduci non potui, quòd viderem hunc libellum in eorum maximè gratiam conscribi, qui necdum certum vitæ genus ingressi, non tam latè docendi, quàm compendiosè ducendi sunt. Moneo tamen, ne percurre, sed pensiculatiùs expende singula, & comperies vtilissima fore, etiam postquam vitæ genus elegeris. Hinc enim hauries vnde deliberationem omnem, vnde consilia expendas omnia, vnde errores in suscepto vitæ genere admissos corrigas, mores componas, & securus ad perfectio-

Breuitatis ratio.

Vtilitas huius libri.

ra contendas. Denique esse tibi potest hic liber, vitæ magisterium, si penitiùs rationes quibus nititur perspicis.

Sunt quidem septem priora Capita, adolescentioribus minùs necessaria, vtilia tamen, & quæ in tota argumenti tractatione omitti non poterant. Enimuerò quando vel in his vel in alijs reperietur, quod deliberanti cuipiam (nec enim omnia omnibus æquè conueniunt) minùs quadret, id erit prętereundum leuiùs, vt in ijs diutiùs atque contentiùs hærere possit, quæ ad finem sibi propositum conducere videbuntur. Faxit Deus, vt siue hac siue alia quacumque ratione & methodo, eam quæ à Deo sit Vocationem videas, audias, prosequaris, ac bonis operibus ita exornes, vt fideli seruo, iustus Judex & Dominus, æternæ gloriæ mercedem amplam rependat.

THEOPHILI BERNARDINI
è Societate IESV
INSTITVTIO VITAE,
SIVE
DE OPTIMO VITÆ STATV CERTA DELIBERANDI VIA.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Status vitæ.

VITÆ institutum, seu traducendæ vitæ genus, dixerunt veteres, quod passim hodie vitæ Statum dicimus: & ita deinceps loquar, non perspicuitatis tantùm gratia, sed quòd benè significanterque dicatur. *Vita institutum.*

Quid sit vitæ status, vnde dicatur, quam firmitatem exigat, fusiùs disputaui in Appendice libri Gallici; nunc ea sola consector, quæ ad finem rectæ deliberationis, electionisque conducunt. Quare omnis ille

Status est spectandus, qui in deliberationem cadit.

Quid hic intelligatur.

Statum igitur generatim hîc dicam, Omne vitæ genus, quod quis constanter ac destinatò profitetur: nempe id omne, quod aptè respondeas interroganti, quid Lucius factitet, seu quem vitæ statum profiteatur: etenim respondere potes, Cælebs est, Canonicus, Religiosus, Parochus, Coniugatus, Miles, Mercator, Aduocatus: quę (& istiusmodi) genus quoddam actionum & occupationum, ab eo electum esse significant, in quo vitam traducere, ac ingenij & industriæ vim statuerit multorum instar impendere.

Vnde videas, eum qui alicuius tantùm artis peritiam aut comparauit, aut comparat, nequaquam dicendum esse id factitare, siue in tali Statu esse: nec enim qui scriptoriam discit, Scriptor; aut qui peritus est Iuris, Iureconsultus professione censetur: sed ille solus, qui peritiam istam in publicum exponit, ex ea vitæ rationes componit, talisque dici & nominari expetit.

Qui Status spectentur.

Licet autem ad rem præsentem non admodum faciat, quàm sit Status ille firmus, parumque mutationibus obnoxius; attamen Status eos maximè hîc specto, qui in controuersiam primò veniunt, quoties de vitæ instituto deligendo agitur: cuiusmodi sunt,

ſunt, vita perpetuò cælebs, coniugata, certæve Religioſæ familiæ. Fermè etenim huc, totius pugnæ incertus euentus incumbit; quidquid ſupereſſe poteſt, leuioris momenti, & expugnatu facilius eſt.

CAPVT II.

Quanti ſit momenti, eum vitæ Statum, qui homini conueniat, nactum eſſe.

QVOTIESCVMQVE de re agitur quæ multa ſecum damna multáſve vtilitates importat, quò maiora illa fuerint, eò vigilantiores ad diiudicandum animos ſolemus adhibere. Quis vmquam, vbi de honore, de fortunis, de capite lis eſſet, oſcitanter egit? atqui parua hæc ſunt, ſi cum electione Status comparantur; hîc enim non tantùm honor, opes, vita præſens, ſed ipſa quoque, quanta quanta eſt, in diſcrimen vocatur Æternitas. *Id pluris fit ex quo plura.*

Hoc vidit eximius ille Theologus, qui ſi vmquam ad νυθετικὰ deſcendit, etiam perſpicaciſſimè in intima prudentiæ penetrat. Is cùm varias illas Ioannis 14. manſiones, retuliſſet ad varietatem quietis & gloriæ quæ Sanctos manet in cęlis, quęrit An ſit aliquid quod hanc varietatem conciliet. & reſpondet: Ἔςι πάντως· τί τοῦτο; τὸ διαφόρως εἶναι πολιτείας, Orat. 33.

τείας, ϗ προαιρέσεις, ϗ ἄλλω ἀλλαχῦ φέρειν. *Est omnino*, inquit. *quid istud? diuersas esse administrationes & electiones* vitæ, *aliamq́ue aliò ferre*. Nempe meminerat se alio loco, & quidem admodum energicè scripsisse:

Orat. 23. Βίων αἵρεσιν κρηπῖδα τῦ πράττειν δ' ἢ καλῶς ἐγὼ τίθεμαι. *Vitæ electionem fundamentum pono, ex quo benè vel malè nobiscum agatur.*

Quæ sequantur ex hac electione. Et verò, quàm certum id sit, apertè deprehendes, animű si aduertas, quę & quanta ex delecto vitæ genere sequantur. Hinc enim negotij, & otij, curarum, & securitatis, societatum, occasionum, periculorum, occupationum, æmulationum, & plurimarum siue in rectum siue in prauum incitationum, varietas omnis existit. Hinc, si id elegeris quod naturæ propensioni, indoli & viribus animi quadret, iucundus & facilis, magna cum tranquillitate quæ tui fuerint muneris obibis, & decorè, honestè, plurimaq́ue omnium approbatione, ad extremum vsque perstabis.

Si conueniens.

At electione minùs recta, si id vitæ genus consectaris, quo infra ingenij modum deprimeris, animus ad maiora respectans, meliora sibi potuisse suspirans, perpetuis conficietur angoribus. Sin autem maiora quàm pro viribus aggressus fueris, impar oneri conci-

Si minùs cõueniens.

concides, & aliis, & tibi ipsi, damno atque dedecori futurus, de constantia deturbaberis, temerarius audies, & ab audaci præfidentia in timiditatem trepidam reuoluêris.

Quid? quòd plurimos perennaturo cruciatui addici, feliciùs alios beatorum numero adscribi, non rarò ex traducta vita, extremoque fine conijcimus, ita tamen vt id omne ab electo vitæ genere ortum ducere putetur? Quàm multi subita belli clade, miserabiliùs mente quàm corpore ceciderunt, quos numquam vel peccati vel mortis inopinus eiusmodi casus oppressisset, si diuinæ atque religiosæ potiùs quàm humanæ militiæ nomen dare maluissent? Religionum perturbatores, subdolos apostatas, recti & veri perduelles hostes, hæreseon propagatores acerrimos, magnam partem inde fluxisse credendum est, quòd ad sanctitatem Religionis, nō satis ab indole & voluntate comparati, iugum quod temerè subierant odisse, perque fas & nefas excutere decreuerunt: melius illis fuerat, sacra non tangere, quàm irrumpendo audaciusque tangendo profanare.

Ex illa etiam æternitas.

Vt plurimùm hominum natura varia est: est qui solitudine tranquillatur, & gaudet; est qui deijcitur, tristatur, & abhorret. Est qui aduersis & arduis enitescit; est qui con-

Hinc variis natura.

trahitur, animumq; despondet. Est qui indulgentiâ acriùs ipse se cohibet, seueritate exasperatur & audacior diffluit; est contra qui indulgentiâ perit, seueritate in officio continetur. Est qui æquus omnibus, facilis, benignus, placidus, amabilis, ad societatem natus, & humani generis deliciæ videtur; est qui asper, intractabilis, ad suam omnes normam exigens, imperiosè præesse promptus, aliorum facilis damnator, sibi soli natus non immeritò iudicatur. Est cuius propensiones ita penitùs naturæ inhęsere, vt planè corrigi nequeant: est qui in melius cereus est duci, & à se quiduis impetrare potest. Quid plura enumerem? quot homines, tot sensus, tot variæ naturæ, tot dissentientia ingenia.

Varios Status præparauit Deus.

Quis mihi nouus ille Prometheus qui tantam illam feritatem, & mansuetudinem, impetum, & lentitudinem, prudentiam, & temeritatem, timiditatem, & audaciam, ceteraque compugnantia, vno in vitæ genere, quasi vno corpore, compaginata concludat? Benè nobiscum agitur, quòd tanta sit tot Institutorum vitæ varietas, nemini vt deesse possit quod ad vitam rectè & ex diuina voluntate traducendam eligat, & sequatur quod naturæ, vel si mauis, auctori naturæ Deo sit acceptum, & virtutibus excolen-

colendis aptum. Iam olim ea de re monuit S. Ambr. qui lib. 1. de Off. cap. 44. ait: *Vnusquisque suum ingenium nouerit, & ad id se applicet quod sibi aptum selegerit. Itaque quid sequatur, prius consideret. Non solùm nouerit bona sua, sed etiam vitia cognoscat: æqualémque se iudicem sui præbeat, vt bona intendat, vitia declinet. Quò vnumquemque suum ducit ingenium, aut quod officium decet, id maiore implet gratia.* Sed de his infrà c. 23. dicetur.

CAPVT III.

Qui vitæ Status re ipsa conueniat.

HOC à me quæritur, non vt difficultate deterream, (erit enim cùm viam planam aperiam) sed vt rei magnitudine & obscuritate, temeritatem arceam.

Quippe vt iudicemus quis vitæ Status nobis ad certam salutem sit opportunior, tria saltem nosse oportet. 1. Commoda & incommoda Status istius, aliorumque cum quibus in contentionem venit. 2. Quàm grauiter aut leuiter in eo Statu degentes impugnabimur. 3. Quàm parati aut fortes, imparati aut imbecilles ad repugnandum futuri sumus. *Tria sunt in Statu reipsa optimo.*

Quod ad Primum attinet, satis patet

Commoda & incommoda.

quàm ſit arduum. Cùm enim vitæ cuiuſcumque commoda, pariter & incommoda, non niſi experiendo ſentiantur, non exiſtimem vllum eſſe hominum, qui nondum ipſemet expertus, de illis ad plenum & ex vero iudicare poſſit. Vtrimque, & quidem ſimul erratur, minuendo & exaggerando. Quod vtrumque fit, quia præſenti noſtro ſenſu, futurum æſtimamus, & fallimur. Cùm enim, exempli gratia, ſocialem vitam non experti, nihil illi aſperitatis ſubeſſe poſſe credimus, iudicamus neque faciliùs neque iucundiùs poſſe nos, quàm in ea viuere; leue, molle, tenerum, quidquid fortè tantillum minetur. Contrà dum nondum ſatis à virtute doctrinaque inſtructi, docendi laborem, Confeſſionum audiendarum intricatas moleſtias perpendimus, iniuſtum & nimium onus videtur. At ſuo tempore & hoc facillimum, & illud non perinde, vt putabamus, procliue ſentiemus.

Aegrè diiudicantur.

Peruulgatus & perfrequens eſt hic error; qui ad militiam, peregrinationem, contentionem, litem, vltionem, aut cuiuſcumq; nouæ rei ſuſceptionem incumbit, montes aureos, prona omnia ſibi pollicetur, pericula contemnit, diſſuadentia non audit, ſibiq; nullum pœnitudini locum eſſe poſſe perſuadet. adeò futuri improuidus eſt quilibet arden-

ardentior cupiditatis impetus! hunc, etiam in rebus bonis frenare, lentisque rationis habenis premere, prudentis est.

De Secundo & Tertio quid dicam? cùm neque varij rerum casus, seu priuatim seu publicè, neque nostra nobis firmitas, aut infirmitas, satis esse nota possit? In dies, imò horas & momenta mutamur, ac repentè rebus ijs deijcimur, quibus paulò antè ne tenuissimè quidem labefactari potueramus: quin, quod amplius est, nocent quæ profuere, quæ nocuere prosunt. *Pugna, & firmitas.*

Hinc autem quædam scitu notatuque dignissima sequuntur. Primò, non posse quemquam sui solius ingenij viribus certò diiudicare, quisnam sibi vitæ Status re ipsa ad finem beatum sit amplectendus: diuinæ luci, quæ futura queque prospectat, id priuilegij seruetur; quæ tamen quomodo ad nos deriuari commodè poterit, suo loco dicetur. *Hinc patet, Deum consulendum:*

Secundò, imprudenter & temerariè fieri, quoties peculiari instinctu Dei seposito, ad vnum aliquem Statum humanis artibus quispiam allicitur. Quid enim? possúntne inabrupto illapsu perpetuas animo perseuerãtiæ vires ministrare? Quid si quopiam vitæ momento, vel eo ipso quo ex huius vitæ statione fuerit illi discedendum, tentatione *Non homines solos:*

vince-

vincetur, neque à lapsu resurgendi spatium concedatur; quid illo fiet? Id autem, sed & alia pericula multa quis prænouit?

Sed propellenda quæ diuina luci aduersantur.

Tertiò, cùm Dei lumen & instinctus sit ad probam Status electionem necessarius, ea sunt quàm maximè cauenda, quæ diuino lumini excipiendo, vel fouendo eius instinctui aduersantur: ne fortè natiuis hominum tenebris obuoluti, corruptelis abducti, ad meliora videnda cæcutiamus, vel etiam ad visa & nota torpescamus. Quapropter omnis ambitio, curæ anxiæ, inflammata cupiditas, letiferum peccatum, omni contentione fugiendum: hinc enim mentis oculi cæcantur, vires ad rectè agendum eneruantur. Plura possent afferri, sed breuitas aliò vocat.

CAPVT IV.

Esse de vitæ Statu deliberandum, & quid illud sit.

Hominis proprium deliberare.

EORVM quæ ratione carent animantum motus & appetitus, ita sunt naturâ inditi, vt in vnam tantùm partem, quæ conuenientior appareat, moueantur & agantur. At hominem (cui præuisio, futurorumque præsensio, & boni à malo, imò & boni à bono diiudicatio data est) de rebus agendis atque

que suscipiendis deliberare decet: quæ autem ritè deliberando statuerit, ea fortiter exequi.

Neque verò res est vlla alia, qua magis homo homini in rebus agendis præstet, quàm deliberandi facultate: hinc enim prudentiæ vel imprudentiæ, temeritatis aut maturitatis, considerantiæ vel inconsiderantiæ, tarditatis aut solertiæ modus iudicatur. Sin autem in rebus alijs singulis, fortuitò atque temerè ad eas aggrediendas ferri indecorum est; quàm erit vituperandum, si ad suscipiendum vitæ Statum, in quo de tota ipsa vita, actionibus omnibus, corpore & mentis salute agetur, temerarius prouolas, & quod primò obtingit occupas, vel casu vel cupiditate delatus? Constat igitur de ineundo vitæ Statu deliberandum. *Inde præstat ceteris.*

Deliberatio verò, est, præstituto sibi fine, rationum quæ vtrimque suadent atq; dissuadent, prudens & considerata libratio, id spectans vt ea pars quasi potior eligatur, in qua maiora esse rationum pondera videntur. *Deliberatio quid sit?*

Hinc animaduertas pauca, quæ ad rei summam, qua de agitur, plurimùm conducunt. Primò, præfixum omni in deliberatione finem esse oportere: qui si à cogitatione recesserit, vacillet & incerta fluctuet deli- *Finis præfigendus.*

libe-

liberatio necesse est. Itaque deliberare non possum, an mihi Lutetiam sit eundum, militia subeunda, matrimonium contrahendum, Religiosum institutum deligendum, nisi primò finem aliquem iucundum, vtilem, honestúmve posuero, cui consequendo res illæ aptæ, ineptæve censeantur. Quare (vt alia taceam de quibus posthac latiùs) si quempiam consulam, Estne mihi Lutetiam eundum? is protinus quæret, cuius rei gratia id in mentem venerit. Si rationem proferre non potero, non id esse consulere, sed nugari, somniare & ineptire dicet, & verè dicet. Quis enim statuet, nullo fine proposito, expediat nécne Lutetiam proficisci? nisi fortè hoc ipso non expedit, quòd ratio cur expediat desit, hominem verò, nisi ratione duce, quippiam aggredi non expedit.

Finis honestus.

Secundò, enixè prouidendum, vt ille semper omni deliberationi scopus proponatur, qui plurimum honesti habeat, & quem irretortis aliò oculis firmè constanterque spectemus. Qua de re erit forsan dicendum sæpiùs.

Vnde comparatio instituenda.

Tertiò, magna animi sinceritate in rationum compugnantium comparatione, acutè inuestigandum, quàm parum, quàm multum opportunitatis præbeant ad finem optatum consequendum: preferenda quippe

pe quæ certiùs, citiùs, abundantiùs, honestiùs, ijs quæ incertiùs, tardiùs, malignè, vel turpiter ad finem perducunt.

Vnde vnum alteri præferetur.

Quartò, Cùm in toto hoc adspectabili orbe, bona malis, commoda mixta sint incommodis; cumque homini plurima sint incerta, ignota, obscura: vix esse vlla potest de re paulò grauiore deliberatio, cuius vna pars ita certò & clarè affirmari queat, vt opposita prorsus omni specie veritatis careat. Quò fit, vt ad alterius partis electionem, non tamdiu sit cunctandum donec opposita, rationibus omnibus, omniq; probabilitate spolietur: sed eam partem fortiter amplecti oportet, in quam potior meritoque pluris facienda rationum vis incumbit: tum verò, quarumcumque trepidationum ac fluctuationum quiuis incursus constanter est despernendus. Est huius obseruationis vsus in humana vita perfrequens, mireque ad tranquillitatem atque prudentiam confert.

Obiectio de non deliberantibus.

At obijcies: Passim reperiri permultos, qui nulla de vitæ genere deliberatione inita, id sunt amplexi, quod vel exempla maiorum, vel æqualium imitatio, vel occasio subitaria, vel impetus animi primum obtulit: quos tamen videas procul omni sollicitudine viuere tranquillos; optimeque de

sua

ſua animi ſalute ſperare: quid ergo longiore deliberatione eſt opus?

Solutio. Ita eſt, fateor: ſed & verum illud eſt, Stultorum infinitus eſt numerus; neque tamen illius numeri pars eſſe, ſed ſtultis cupis eximi: ergo ne multitudinis, ſed ſapientum imitatione ducaris. Quàm frequens eſt, vt temerarij cœpti ſit felix exitus, & prudentis conſilij infauſtus? & hinc prouerbio locus, Audaces fortuna iuuat. quis tamen ita deſipit, vt temeritatis, quàm prudentiæ affectator haberi malit? Prætereà tua deliberare nolentis cõditio, longè deterior eſt quàm illorum, qui vel ſtupore, vel ignorantia, vel necopino caſu, vel maiorum, quod declinare ſe non poſſe credebant, imperio compulſi, alicui ſe vitæ generi dediderunt. Horum enim animis, vt nihil doli ſubuerentibus, æquius eſt præcauere Deum, prouidendo vt ne malè incidant: vel ſi inciderint, tantum auxilij miniſtrando, vt aduerſos fluctus propulſare, portumq; ſalutarem ſubire tandem queant. Tu verò qui prudentiæ, qui conſilijs diuinis, caſum, temeritatem, cupiditatem præfers, quem tibi ſpondeas exitum? inexploratò, lintre fatiſcente, teque tuamque animi ſalutem tempeſtuoſo vitæ mari committes, rapieris mox obruendus à fluctibus, regredi non dabitur, progredi non poteris,

poteris,tua (quæ tibi dux fuit) torquebit & præcipitabit imprudentia & cupiditas: peccatis tuis,quasi marinis belluis,dilaniaberis; prauà te societas, quasi lembi piratici, in profunda demergent: virtutum spoliatus armis,nudatum latus & pectus mundo,carni,dæmoni,vulnerandum obijcies.

Dum licet caue, tamque infidum & furens huius vitæ pelagus emensurus, noli æternitatis merces, noli te ipsum cuiuis rati, cuiuis gubernatori credere. Si nauem tibi indicarit Deus, si ad eius gubernacula præsidere dignabitur; ô te tali vectore felicem! non ex eorum eris numero,sanè quàm permagno, qui quòd eam à Deo non acceperint, sorte sua numquam contenti viuunt: sed lætus & iucundus, præsidem nauigationis tuæ Deum intueberis,certus,eo propulsante nihil fore, quod ab æternitatis beatæ portu,cursum tuæ contentionis auertat. *Sanior cautio.*

Sed antequam longiùs progrediar, obseruandum est, quamdam esse ad aliquod vitæ genus accedendi & quasi eligendi normam, quæ tota diuino nititur impulsu, & sola propè perficitur voluntate. Hæc propriè deliberatio non est dicenda, nec enim rationes librantur, sed impulsibus probatis agitur, forisque & cælitus suscipitur, non autem ab ipso homine excitatur. De hac *Dominantis voluntatis impulsus.*

non decreui nunc agere, quòd paucorum; quòd obſcurior ſit, ac fermè poſtulet viuæ vocis in ſecreto ſilentio dirigẽtis oraculum.

CAPVT V.

Sintne aliqui à deliberatione de Statu vitæ repellendi.

Sunt repellendi. SVNT omnino, & non pauci: illi nempe omnes, quibus vel ſuo, vel nullo ſuo vitio deliberandi facultas eſt ſublata.

Nullo ſuo vitio. Nullo ſuo vitio extra deliberandi ſortem ſunt, quicumque iam in aliquo vitæ ſtatu perpetuo, & qui mutari non debeat collocati ſunt: eius enim quod non poteſt vel non debet fieri, nulla debet eſſe deliberatio.

His etiam accenſendi ſunt illi quibus non eſt ea iudicij firmitas, quæ tantæ rei agitandæ par eſſe poſſit: hinc ſi tenella eſt ætas, expectandum donec robur accedat; ſi grandior, at non ſatis ſanæ mentis, diuinæ eſt miſericordiæ committendum.

Quid de infantibus. Ergóne, inquis, malè illi, qui liberos iam ab infantia Religioſis inſtitutis imbuendos tradunt? Id equidem non ago: neque ſanè quod à ſanctiſſimis viris eſt vſurpatum, auſim improbare: id verò dico, nondum eſſe in tanta ætatis imbecillitate, quod deliberent, quamuis abundè ſit, quò ſe duci ſinant:

nant: quòd si perpetuò fiuerint, beati sunt, quibus datum mundi contagione subduci, priùs quàm infici: non erit quod serò lugenda lugeant, qui numquam lugenda commiserint. Sed ad nostra redeamus.

Nullo item suo vitio, à deliberatione de Statu vitæ remouendi sunt, qui perpetuis morbis conflictantur, aut quorum tam est infirma & inconstans valetudo, nihil vt aliud valeant aggredi. Quos equidem pro certo habeo id stadium diuinitus esse nactos, in quo, & nusquam alibi, suus illis ad beatam æternitatem elaborandus est cursus. Non exiguæ in Christiana disciplina patientiæ sunt laudes: *Perfectum opus habet: centesimus fertur fructus in corde bono, & patientia:* hanc qui benè excoluerit, ingentem in vita futura gloriæ segetem demetet. Caueat interim ne cupidiùs aliena respectans, propria non excolat. *Morbosi.*

Suo denique vitio sunt à deliberatione remouendi, qui Status alicuius præiudicio laborant, quia vel alium suscipere decreuerunt, vel prorsus ab eis de quibus deliberandum esset abhorrent. Præiudicia rectum iudicium euertunt: nec est deliberationi locus, vbi rationibus vtrimque proferendis, & sincerè discriminandis deest locus. *Præiudicio laborantes.*

Nolim equidem vbi præiudicium agno-

ſcitur, deliberationem ingredi, niſi tam leue putetur, vt facilè ſuperari poſſe ſperetur: omninoque ſuperatum eſſe oportet, antequam certo propoſiti decreto; deliberatio firmetur. Conducunt ad indifferentiam ſeu æquilibrium animi multa eorum quæ dicentur, ideoque donec ea poſita ſint, eius explanationem differo.

CAPVT VI.

Quandónam de Statu vitæ deliberandum?

Præueniuntur

Dei,

vel Aliorum impulſu.

QVIDAM ſunt quos à teneris vnguiculis ſuauiſſima benignitate præuenit Deus, & ad perfectiora compellit: idque fermè duobus modis, Primò, cùm ijs ipſis ea pietatis atque ſanctimoniæ deſideria, ſenſuumque & inſtinctus perfectionis impertit, quibus inabruptè, ſemel vel cœptam vitæ innocentiam, non tueantur tantùm, ſed plurimis etiam eximiarum virtutum actionibus exornent. Secundò, quando ſuorum impulſu, & voluntate maiorum, ipſis quid rerum agatur ignaris, in Religioſo vitæ ſtatu collocantur, educantur, perſeuerant. Incertior & periculoſior hic modus eſt: nec enim aliena voluntas prodeſt, niſi ad eam propria quoque acceſſerit. Felices tamen

& ipsi, sua si bona nosse, & notis vti velint.

De his igitur, cùm non deliberent, non est quod loquamur, sed de illis tantùm, qui suopte inductu ad aliquod se vitæ genus admouent, quos prudenter deliberasse decet de re, quam, cùm tanti sit momenti, semel & in perpetuum statui oportet.

Id igitur Primò & quasi certum affirmo, Non videri quemquam vni vitæ generi illigandum, quin priùs diligenter perpenderit, illíne oneri ferendo par esse possit. Cùmque anceps & obscura sit hæc deliberatio, non quasi in transcursu, & cuiusuis, sed seria, & acri cum iudicio esse debet.

Ne suscipe quod non exploraueris.

Ex omni etenim vitæ genere, peculiares quædam officiorum rationes emergunt, quibus explendis laborem & industriam conferre oportet: suum etiam quoddam decorum est, suæ molestiæ, suæ arduitates & implicandorum negotiorum occasiones; sua denique ad virtutes & vitia inuitamenta sunt & impulsus. Ita in matrimonio animaduertas peculiares officij rationes, (vulgò obligationes Status vocant) mariti in vxorem, vxoris in maritum, parentum in liberos, liberorum in parentes: itemque consanguinitatis & affinitatis obseruantiam: familiæ splendorem: domesticarum rerum, litium, actionum, tutelarum, negotiorum,

Sunt enim onera varia.

& negotiationum implicatas curas: consortia, familiaritates, sodalitia, epulas, conuiuia, vicinitatem, agendi & cessandi libertatem, perturbationum, cupiditatum, voluptatum suam licentiam, præsidia propinquitatum, clientelæ subsidia; & id genus plura, quæ frequentiùs ex istiusmodi vitæ conditionibus existunt. Non dissimiliter in Religiosa vita obserues, quæ & quanta ex obedientis vitæ perpetuitate dimanent, quanta sit castitatis dignitas, securitas paupertatis, orationum frequentia & modus, actionum præstantia, morum inculpata sinceritas, charitatis æqualitas, disciplinæ vigor, virtutis & perfectionis crebra exercitatio, quibus in humeros attollendis, quanta sit inuicti animi, diuino fauore constantia, quæ tentationes eluctandi fiducia, quàm certa perseuerandi spes, variè tẽtandum est.

Non aliter quouis in instituto vitæ, & latent & patent multa, quæ si dignoscantur, aut alliciunt, aut exterrent animos, prout quisque susceptionem istorum, sibi vel expetendam, vel fugiendam putat. Hoc autem cùm non satis discriminare quisquam queat, nisi probè agnouerit, tum conditionum ipsarum vim, tum naturæ suæ cum diuini auxilij dispensatione robur, quantum sit futurum: an non hinc planè perspicuè effici-

efficitur, temerarium eſſe, aliquem cuiuſpiam vitæ rationibus implicare, priuſquam eas,cuiuſmodi ſint,euoluere valeat?

Præterea cùm vitæ ſuſceptæ onera, ad animum maximè, & ad vitiorum virtutumque progreſſum, atque adeò ad perennaturum ſtatum ſpectent: apertè conſequitur, & parentum, & quorumcumque hominum imperiis, rectæ diuinæque rationi aduerſis,audientes eſſe non oportere: quin, grauiter vtroſq; peccare, & ſe in diſcrimen æternum vocare,dum periculi plena, Deoque aduerſa vel conſulendo, vel ſubeundo, iudiciorum diuinorum in ſe ſeueritatem prouocant:hoc verò quàm graue ſit,ſuo loco dicam. *Liberè ſubeuntur onera tanta.*

Secundum, atque Primo illi admodum affine adiunxerim, Cauendum itidem eſſe, ne affectum noſtrum in aliquod ſingulare vitæ genus propenſiùs ferri ſinamus, deliberatione nondum inita. Quippe omne præiudicium, omnis item vehementior in vnam partem affectus, rationum ac argumentorum vim prorſus obliquat: quare ſi tanta de re deliberare, & ritè deliberare ſtatuiſti, animum præiudicijs & affectu vacuum afferas oportet. Varia quæri hîc poſſent, de quibus poſteà. *Affectus deliberationem ne præcedat.*

Tertium: Si ætas quæpiam ſuſceptioni

Qui potest suscipere, is solet deliberare posse.

Status, multò magis deliberationi idonea censenda est. Quis enim dixerit, rem eam prudenter suscipi, de qua suscipienda deliberare non possis, cùm tamen voluntaria, controuersa, maximique momenti iudicetur? Verùm, hinc etiam id conficimus, Pręmaturè certo in vitæ genere, eoque non dissociabili collocari eos, qui præ ætatis imbecillitate necdum quid suscipiant agnoscunt. Sed in hoc magna est iudicij ratio habenda: præcoces enim quidam, quidam tardiores multò sunt; illi citiùs, hi tardiùs ad vitæ Statum admouendi.

Qui potest delibera-re, potest suscipere.

Prætereà ætatem illam suscipiendo vitæ Statui idoneam esse crediderim, cui iam tantum iudicij suppetit, vt de illo deliberare sedatè sapienterque possit.

An vni apta ætas, quæ alteri non.

Sin autem quæsiuerit quis, Annon eadem ætas seligendo cuipiam Statui apta esse possit, quæ alteri Statui non satis esset; equidem id mihi consentaneum videtur: vt enim longum, periculosum, difficile iter aggressurus, apparatu commeatuque maiore, sed & accuratiore disquisitione opus habet, quàm si breue, tutum, planum conficere statuisset: ita qui vitæ genus intricatum, molestum, anceps, æternæ saluti aduersum, aut saltem peccandi periculis refertum aggreditur, plura pertentare, explorare seipsum,

ipſum, auxilia certa cõparare debet copioſiùs, & certiùs, quàm ſi aliud vitæ genus amplecteretur, in quo minus periculorum, ſecuritatis amplius, plus ad benè viuendum & ad beatam ęternitatem promerendum plus præſidij eſſet. Quis enim non videat, prouidenda & pręmeditanda plura, vbi plures declinandæ ſunt inſidiæ, aduerſa reprimenda, retundendi hoſtiles impetus?

Quæ cùm ita ſint, facilè poſſis deprehendere, quàm ex falſo conquerantur, qui adoleſcentes iam puberes in Religioſorum numerum cooptari, propterea paſſim improbant, acriterque in cooptantes inuehantur, quòd ætate nondum proue&tiore, minùs quæ deliciarum & honorum ſunt guſtaſſe, & tùm demum certiore iudicio explorata refutare potuerint. Quid enim? an non hi ipſi tam moroſi in optimo conſilio cenſores, plurimos vident, qui vbi opimi diuitiorìſque matrimonij ſpes affulſerit, continuò ne id eis elabatur, prima ſtatim pubertate floreſcente conditiones implicant, pacta firmant, nec ætatis imbecillitate tardantur? Quod vbi perfectum fuerit, tantum à reprehendendo abſunt, vt etiam, pro ſua ſingulari prudentia, non mediocriter laudent? Ergóne, Deum animæ ſuæ ſponſum, diuino fretum conſilio, adamata caſtitate, *Adoleſcentia Religioni aptior.*

dum inuitat amplecti, dum aduocat audire, dum præit subsequi, non erit summa laude dignum? non erit summæ prudentiæ, illecebras improbitatis, ambitionis, luxuriæ, cupiditatis præcidisse, occupasse meliora, cauisse potiùs, quàm obligasse vulnera? Si voluptatum letaliter blandiens esca fugienda est, si venenum longiùs extrudendum est; quantò satius non gustasse, non bibisse, quod non nisi ægrescente stomacho euomas, fermeque aliquid fæcium subsidat?

In fine humaniorum vel initio Philosophiæ deliberandum.

Sed ad deliberationis ętatem redeo: & quoniam hæc potissimè in gratiam adolescentium literis operam dantium scribo, eam existimo maximè opportunam, quæ vel ad humaniorum studiorum finem, vel ad Philosophicorum initia deuenit: ita vt antequam ad scientiæ alicuius peritiam conquirendam se dedant, sit eis de vitæ genere constitutum. Etenim tum humaniores, tum Philosophicæ litteræ, quiddam sunt, quod alij cuiuis scientiæ, vt Iuris, Medicinæ, Theologiæ, pręsterni potest, vel etiam ad solum vitę ornatum ab ijs adhiberi, qui sua sorte, vel familię splendore contenti, nullum profiteri scientię genus volunt; quo fit vt humanioribus & Philosophicis, vtilis opera à quocumque nauetur. At verò his

his emenſis, omnino conſentaneum eſt, vt addiſcendæ certæ cuidam ſcientiæ te tradas, quæ ſi cum vitæ ſecuturæ rationibus non conſentiat, operam & oleum perdis, ætatiſque ad diſciplinam aptiſſimæ magnam iacturam facis, ne dicam quod frequenter eos mores induis, qui non leuiter ſuſcipiendæ vitæ officient.

Nil nimis properandum.

Vobis igitur, adoleſcentes ingenui, vehementer ſuadeo, ne nimiùm in ſcholis inferioribûs properare contendatis, vt eò maturiores ad Humanitatis & Rhetoricæ ſcholam deuenire poſſitis: Hîc verò, videte num vobis ad Philoſophica pro opportunitate regionis aditûs pateat, & an ibi pietatem excolendi & ritè deliberandi facultas ſit adfutura. Si enim cum ſtudio Philoſophico, hæc quoque prꝫſtò erunt; certius eſt & firmius, & ad ſecuturam vitæ ſuſceptionem vtilius, vt Philoſophiæ nauans operam, firmiore & ſcientijs inſtructiore iudicio ad nouam denique vitam accedas. At ſi vel Philoſophiæ ſtudium, vel in eo pietatis exercitatio negatur, tum verò ſuaſerim, vt ad ſecundum tertiumque annum eloquentiæ ſtudia protrahens, in ſecundi tertijque anni decurſu, de tuo vitæ genere ſtatuas. Erunt cui tarda hæc, erunt cui prꝫfeſtina videbuntur: dixi quod ex æquo & bono viſum: neque

neque hîc contentiosus esse velim.

De mechanicis. De mechanicis, deque feminis res est intricatior. In istis vniuersè rem definire non possum, spectanda propè in singulis habilitas, industria, morum suauitas, & ad parendum obsequentia; quippe qui litteris non sunt exculti, vel sua in arte æuum degant necesse est, vel Religiosi euadant; si autem Religiosi sint, ad id quoque animum inducant oportet, vt spem omnem auctoritatis, imperij, honorum, commodorum deponant, perpetuisq; se laboribus, & ignoti nominis latebris addicant. Quod vt in Christiana disciplina præclarum, ita cùm exercitationis perpetuitas accesserit, arduum est.

In feminis grandis & vulgatus error. In virginibus verò id valdè prępostérum, neque tamen quî corrigi possit video: quod ab ipsis primis infantiæ pannis, totæ in ornatu, cultuque formæ habitant, nec aliud accuratiùs à parentibus docentur; quod non est nisi ingens electioni Status afferre præiudicium, dum vnà cum lacte nutricis, inanitatis amoribus inbuuntur, & priùs ac plus hominum oculis, quàm diuinæ Maiestati placere contendunt. Quantopere tamen deceret, vt meliorum melior amor, insinuaretur priùs, cõmendaretur ardẽtiùs?

De ijs qui cupiditatũ æstu absorbentur. Quid de illis dicam, quos naturæ indoles & vis ingenij ad pręstantissima ducebat, quan-

quando eos derepentè sæuissima libidinum coorta tempestas, vix eluctandis vitiorum fluctibus inuoluit? Equidem si his neque natura, neque doctrina, neque deest educatio, non existimem desperandum, aut prudentem molli lenimine curam esse deponendam. Id grande periculum imminet, ne improuisa clade, subitariæ mortis scopulo illisa ratis, æternum momento naufragium insolabiliter subeat. Hoc autem quoniam humanæ prouidentiæ metas egreditur, non tam industria quàm precibus est auertendum.

Interim quà licet, frenandus eorum est impetus, voluptates amaritia inspergendæ, patienterque expectandum donec primus libidinum deferuescat æstus; nihil nimis vrgendum, quantumuis salutare & ad medelam efficax putetur. Verùm ista ad eorum, qui conscientiæ presunt, prudentiam spectant, de qua plura cap. 34. itemque 17. & sequentibus, in Gallico Tractatu dixi.

CAPVT VII.

Posse facilè dignosci quis nobis conuenientior sit vitæ Status.

DIXI cap. 3. quàm sit arduum, re ipsa conducentem vitæ Statum nosse: ne igitur desperatione contrahantur animi, dicen- *Difficilia.*

Ierem. 1. cendũ quis eiuſce pronuntiati ſit ſenſus. *Scio Domine*, inquit Propheta, *quia non eſt hominis via eius, neque viri eſt, vt ambulet, & dirigat greſſus ſuos*. Et tamen eſt qui dicat,
Pſal. 39. *Expectans expectaui Dominum, & ſtatuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos.* Ecce ait ille, in homine non eſſe vt greſſus ſuos dirigat; & hic gratias agit Deo quòd ſuos direxerit, idque tam exiguo labore, tantùm vt expectaret, ſperaret, inuocaret Deum: nempe à prima Veritate audiuimus, *Quæ impoſsibilia ſunt apud homines, poſsibilia ſunt apud Deum*, cui prona, & ad nutum obediunt omnia.

Deo iuuante facilia.

Iuuamen præſtò eſt.

Falsò eum crediderunt impij, ſummis cælorum inambulare cardinibus, inferiora negligere, hominumque conſortia deſpernere.
Prou. 8. *Numquid non ſapientia clamitat, & prudentia dat vocem ſuam? In ſummis excelſiſq́ verticibus ſupra viam in mediis ſemitis ſtans, iuxta portas ciuitatis in ipſis foribus loquitur, dicens: O viri ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum, deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum: Beati qui cuſtodiunt vias meas.* Hæc tibi adſtat ſapientia, hæc aures vellicabit, hæc occulta & incerta apertè retegere amabit.

Sap. 1. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum*, ait Sapiens: quid enim luci

cum

cum tenebris, vitæ cum morte communionis intercedat? Itaque disertè pronuntiat Apostolus: *Omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Vult igitur huius veritatis, quæ tantopere ad salutem conducat, huius de meliore vitæ Statu cognitionis, vnumquemque participem fieri. 1. Tim. 2.

Certè, quàm ardenter salutem alicuius exoptas, tam necesse est vt liberaliter conferas, quæ ad illam vel necessaria, vel apprimè conducibilia putantur. Cùm igitur non mortem, sed vitam, perennemque vitam hominibus abundè adesse velit, restat vt ignaris commonstret viam; eò maximè, quòd cùm ideò hominis naturam induerit Deus, vt per eum homines *vitam habeant, & abundantiùs habeant*, præbebit vitam, viamque ad vitam muniet; nec enim se vitam tantùm, sed viam, veritatem, & vitam dixit; vt nouerimus, quàm exposita omnibus via, quàm certa veritas, quàm optabilis est vita, tam esse illum ad nos deducendos procliuem, ad dirigendos erroris expertem, ad beandos copiosum & diuitem, seque solo contentum. *Qui saluū vult, salutaria conferat.* Ioan. 10.

Ergo *in Dei lumine videbimus lumen, lumen enim eius signatum est super nos, & dat lætitiam in corde nostro.* Instar meridiani Psal. 35.

Solis

Solis illucebit animis noſtris, docebit quà ſit carpendum iter, miniſtrabit emetiendo ſtadio vires, infundet lætitiam, vt fortitudine gigantea viam noſtram percurrendo exultemus. Non eſt qui queri poſſit defuiſſe melioribus agnoſcendis Deum, ſe tamen plerique omnes incuſare debent, quòd perfectiora commonſtranti Deo, minùs obſequentes aures præbuerint.

Vnde Macarius recenſita Lucæ 14. inuitatione ad Euangelicam cœnam concludit:
Hom. 15. Ὁρᾷς ὅτι ὁ κλήτωρ ἕτοιμος, οἱ δὲ κληθέντες ἀντεῖπον; ἄρα αὐτοὶ ἑαυτοῖς αἴτιοι γεγόνασι. *Vidéſne, vt paratus eſt qui vocat, qui vocantur recuſant? ipſi ergo ſibi ipſis rei ſunt.* Sui ſunt
Ad Cler. cap. 2. iudices, ſe ipſis damnabuntur. *Nec enim* (ait S. Bernardus) *laborandum eſt vt ad vocis huius perueniatur auditum. Labor eſt potiùs, aures obturare ne audias. Nimirum vox iſta ſe offert, ipſa ſe ingerit, nec ceſſat pulſare ad oſtia ſingulorum. Eſt enim, non tantùm vox virtutis, ſed & radius lucis, annuntians hominibus peccata eorum, & illuminans abſcondita tenebrarum.*

Et leniſſimè id faciet. Vide cap. 17. Neque tamē hîc aut excelſum quiddam, aut præter communem rerum ordinem, mirabile ſuſpiceris: eadem quæ ſuauiter & fortiter omnia diſponit & permeat ſapientia diuina, illa tam leniter tuæ mentis oculos

los aperiet; quàm leniter ſolet matutinæ lucis radius corporis oculos illuſtrare; neque maiore eſt opus arte, quàm vt te obuium luci prębeas, & vltroneus ſeſe diffundentem excipias. Nunc, quod hoc loco ſit ſatis, audi, crede, perfice quod Sapiens: *Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum: quoniam inuenitur ab his, qui non tentant illum: apparet autem eis qui fidem habent in illum.* Sap. 1. Quæ verba perpende diligenter, omninoque ita ſe habere comperies.

CAPVT VIII.

Quem in deliberatione de Statu vitæ finem ſpectare oporteat.

QVÆ adhuc dixi, proluſiones quædam ad vniuerſam rei cognitionem fuerunt: nunc autem propiùs ad deliberaturi mentem neceſſariis præſidiis ſenſim inſtruendam accedo.

Ac primò omnium, certus eſt deliberationi noſtræ finis obfirmandus, vt ex eo iudicare poſſimus, riténe an ſecùs deliberetur: itemque, an id quod in deliberationem adducitur expediat an non. Hoc autem tanti facias velim, quanti rem ipſam qua de agitur: rem enim perdidiſti, ſi à vero fine *Finis.* *Quanti ſit.*

aberrasti. Exemplis monstremus. Qui amplissimum possidet patrimonium, agros, villas, oppida, quibus quomodo sibi sit vtendum dubitet, si crediderit ideò illa possideri vt cuiuis cupiditati subseruiant, atque hinc cupediis, ganeis, alea, cunctas opes abliguriat, nónne malè statuto fine, tantum perdidit, quanti erát opes illæ? Quid ille, qui sericis, & phrygio opere intertextis pretiosis vestibus, ad extergendas pauimentorum sordes vteretur, annon rideretur, & amens putaretur? Atqui nō alius hic error esset, quàm quòd ea veste in alium finem, quàm in eum ad quem facta est, vteretur. Quis iumenta ad laqueatas auro, palatiorum aulas; Reges ad sordidas stabulorum caulas, hospitio excepturus, amandet? nempe in alios fines destinata sunt singula, tantique damni est abusus, quanti fuit res pretij.

Finis in re digniore pluris fit.

Hinc à rerum dignitate, vtentium animaduersio solet excitari, & quoties magni pretij res in manus venerit, diligenter inquirimus, quem in finem, & quomodo sit illa vtendum. Contingit quippe vt quando finem tenueris, modum tamen, quo perueniatur in finem, nondum teneas. Vides balistam, audis excogitatam vt procul feriat: at nisi edocearis, non continuò & intendendi, & dirigendi, &

hostem

hostem deijciendi peritus euasisti.

Ita ad rem nostram: De vitæ Statu cùm deliberatur, quid agitur? Deliberatur quo in vitæ Statu, quidquid in nobis est, seu à natura habilitatis, seu à studio peritiæ & scientiæ, seu à Deo gratiæ, seu spei in futurum, meliùs collocabitur. O quantus, à tot tantarumque rerum grauitate, ad benè deliberandum stimulus! Sed vnde cognoscemus, vbi benè, vbi meliùs collocentur, nisi ex comparatione ad bonum & pręclarum finem, ad quem laudabile sit si cuncta referantur, malum & illaudabile si aliò? Fac igitur, ista cuncta in prauum finem esse detorta, annon totidem donorum, & vitę, & animæ detrimentum pateris, quot illa fuerint, quæ indigno fini obsecundent? at si rectè, si in finem honestum, conuenientemque referantur, sua natiua dignitate non excidunt, quin potiùs vsu & exercitio enitescunt. Quanti igitur vitam tuam, animam tuam, tuarum actionum fructum facis, tanti facias oportet rectum vitę tuę finem, & ex recto fine pendentem deliberationem. *Probatur in vita Statu.*

Finis autem, melius quiddam est, & eiusmodi, vt ad illum consequendum res tota iure expendi queat: est enim id cuius gratia res est aut fit, aut eò referenda est, vt pacis gratia bellum, sanitatis gratia medicina; *Quid Finis.*

 mer-

mercedis gratia labor. Ergo pax bello, sanitas medicina, merces labore præstantior. Ridearis, & naturæ euersor habearis, si rem viliorem dignioris finem feceris. Arcam auream, tomentis recondendis compara; Pario marmore nitentia stabula, porcis ædifica; reiectanea scruta, gemmis & auro multo redime; insanus habeberis: at nulla id alia de causa contigerit, quàm quòd viliora pretiosis prætulisti, & rem minoris faciendam, alterius pluris faciendæ finem & pretium fecisti.

Finis ipsa re melior.

Finis hominis, quiddam est homine melius.

Cùm igitur finem hominis inquiramus, ad quem totius vitæ suæ susceptione & moderatione contendat, ex dictis conficitur, Finem illum quiddam esse oportere quod homine sit melius atque præstantius. Atqui in hac vniuersa rerum adspectabili machina nihil est quod cum homine conferri possit, nō voluptates, belluina res; non opes, solæ commodorum famulatrices; non animantes, rationis & cognitionis expertes; non Sol, non Luna, non stellæ, lucis & temporum circulares administrę: nihil igitur quod sub oculos veniat, cùm & ipsa diuinior pars hominis animus, naturâ suâ sit ab omni materiæ concretione separatus.

Stolidè contrà sentitur.

O consiliorum improuidos, nimiumque de se demissè sentientes, qui gulæ, qui voluptati,

ptati, qui ambitioni & periturae gloriae viuunt. Itáne vos ipsi despicitis, vt nobilissimum, rebus abiectissimis, animum seruire faciatis? vt aeternae natum gloriae, & immortalia spectantem, vmbris inanibus, momentoque perituris fatigetis? Quis ergo noster finis?

Equidem à natura sic factus est homo, vt cùm ratione & intelligentia sit preditus, quod bonum & verũ est, semper inquirat & appetat; nec exiguo contentus, ad maiora perpetuus adspiret, peruentione inardescat, vixque est vt satiari possit: imò non potest, nisi eò pertigerit vbi tantus bonorum omnium affluxus fuerit, vt auiditatem desiderij, nimia superet boni copia. Hic est finis ille, quo nihil melius. qui *ideò finis dicitur, quia iam quò excurrat, & quò referatur, non inuenitur. Ibi requies appetendi, ibi fruendi securitas, ibi tranquillissimum gaudium optimæ voluntatis:* vt loquitur S. Augustinus. *Is homini finis;* Epist. 56.

At quis ille? Quo nihil melius, *qui replet in bonis desiderium tuum*, qui boni omnis, omnis desiderabilis fons, in quo bonum omne, extra quem nullum verum & perenne bonum. Quis praeter Deum nostrum, ad quem factus, procreatus, erectus est homo? Est ergo hic hominis finis, est ad quem vita, vitae genus, actionesque singulae referri debeant. *quo nihil melius, in quo bonum omne.*

beant. At hoc ipsum pensiculatiùs expendendum & quî fieri oporteat praeeundum.

CAPVT IX.

Expenditur hominis finis.

Res ad finem referenda.

VT ex iis quae dicta sunt vtilitatem haurire possimus, eamque non sola cognitione, sed operatione, morumque atque actionum conformatione definitam; statuamus animo, & in hoc penitùs obfirmemur, eorum quae ad finem sunt, omnia ad finem referri oportere, vt medicinam ad sanitatem, hominem ad Deum: &, si vmquam vlla de re quaestio inciderit, esse de illa, arcessitis à fine rationibus, iudicandum, expediat, nécne. Satis est hoc perspicuum, tantùm superest vt ritè & aptè per singula iudicetur. Quod ad praesens attinet, ita ratiocinandum fuerit.

Finem velim quem mihi praefixit Deus.

En, singula sunt suos in fines referenda; quod ni fiat, eò grauiora incurruntur damna, quò res dignior est, & quò longiùs à fine recessum fuerit. Quid mihi me ipso carius, & cui solicitiùs, quàm vitae, quàm animo cauebo meo? Atqui, si de vasorum vsu, quod cui conueniat, aptiùs à nemine quàm à figulo sciscitor; vnde securiùs agnoscam, quis totius vitae meae melior vsus fuerit, quàm

quàm si nouero quorsum illam dirigi velit Deus? Est enim summa sapientia, cui quid sit melius notissimum est; summa benignitas, quæ rebus à se procreatis id velit quod melius est. Constat ergo, id mihi certius, verius, optabilius bonum esse, ad quod me Deus procrearit; restat vt eódem ipse quoque contendam, eiusque destinationi voluntatem conatusque meos fortiter adiungam.

Id verò quàm iustum sit dispiciamus attentiùs. Quem in modum? cur ipse me fecit? fecit enim ipse me, & nemo alius. *Manus eius plasmauerunt me, & sicut lac coagulatus sum, compegit ossa, & pelle quasi veste contexit, & inspirauit spiraculum vitæ, & in animam viuentem me fecit.* Nihil eram, cumque nihil essem, nihil mihi iuris erat vt essem: esse dedit, quod negauit multis, qui esse potuissent, at neque fuere, neque erunt. Nec tantum esse, sed hominem esse dedit; virum esse, non feminam, (ah quot malis obnoxiam, quot bonorum incapacem!) non surdum, non claudum, non cæcum, non amentem, non monstri similem, non sæua & perpetua infirmitate languentem, non Scythas intèr aut Æthiopas, barbarie ac Dei ignoratione laborantem, integris sensibus, animo ad suas functiones expedito,

Fecit me Deus,

qualem,

Quem in finem? to, immortali, inuisibili, incorporeo, volente, intelligente, simili Angelis, excelsiore rebus corporatis, altiora & æterna spectante, ac denique desideriorum sinum in quamdam beatitatis immensitatem expandente, eousque, vt cùm Dei capax essem, altiùs & longiùs à perituris euolarem, veraque obedientia & cultu Dei eò pertingerem, vbi eadem cum Angelis beatitudine perfruens, Deo similis euaderem, & in Deum totus irem.

Amor finis prænobilis. O nobilem & diuinum finem! ô me beatum qui ad tanta sim natus! Erítne, vt talis dignitatis obliuiscar? vt inferiora consecter? vt diuinis bonis excidam, tantò lugendus magis, quò magis beãdus eram! Non patiar, non feram; non committam, vt me inde vlla rei cuiusquam cupiditas auellat. Si non meminero tui, finis optime, si non ad te me totum & mea omnia direxero; quid me, quid illis fiet? in labyrintheos errores, in peccata, in dolores ęternandos, pessum ibo. Diuitiæ, voluptates, honor & gloria, quantumcumque exaggeremini, erítnę vt cum hoc prænobili fine in comparationem venire possitis? ah iacetis totæ: mentem non expletis, famem exacuitis, vritis impatiente prurigine. Tu verò Deus meus, tu ille ipse es, in quo & per quem beatus ero: te si consequor,

ſequor, omnia conſequor; à te ſi excido, heu perij! Da, Domine mi; da Deus optime, vt hoc mihi ſit gaudium vnum, ſit ſpes vnica; in te ſi gaudere, in te ſperare ſi datur; hic timor vnus, ne te offenſum habeam; dolor vnus & ſummus, ſi vſpiam à te receſſero.

Verè ita eſt, anime mi, & hoc penitùs combibendum, tibi à Deo recedenti id euenturum quod cuiuis rei alteri ſolet, cùm à naturali loco, vſu, fine diuellitur: nempe illi malè eſt, ſenſimque corrumpitur; nec piſcis in terra viuit, nec in mari leo, aliaque non diſſimiliter. Hinc eſt quòd hominem dolores, & conſcientiæ ſtimuli miſerè torquēt, ſi in peccata, victus cupiditatē prolabitur. Cùm enim peccatum ſeparet à Deo, à fine & quiete ſeparat, angoribus tradit, ſpoliat robore, & miſellum hominem per decliue vitiorum raptandum exponit. *In eodem obfirmatio.*

Sed priuſquam progrediar longiùs, iuuat D. Auguſtini ratiocinationem hęc ipſa confirmantem referre. Is epiſtola quadam ita loquitur: *Amant requiem ſiue animæ piæ, ſiue iniquæ: ſed an perueniant ad illud quod plurimùm amant, neſciunt; nec aliquid appetunt etiam ipſa corpora pōderibus ſuis, niſi quieſcere à motibus ſuis. Nam ſicut corpus tamdiu nititur pondere, ſiue deorſum verſus, ſiue surſum verſus, donec ad locum quò nititur, ve-* Epiſt. 119. cap. 10. *Anima quærit quietem. Pondus animi, Amor.*

niens conquiescat: pondus quippe olei si dimittatur in aërem, deorsum; si autem sub aquis, sursum nititur: sic animæ, ad ea quæ amant propterea nituntur, vt perueniendo requiescant. Et multa quidem per corpus delectant, sed non est in eis æterna requies, nec saltem diuturna, & propterea magis sordidant animum, & aggrauant potiùs, vt sincerum eius
Sui amor. *pondus, quo in superna fertur, impediant. Cùm ergo anima in se ipsa delectatur, nondum re incommutabili delectatur, & ideò adhuc superba est, quia se pro summo habet, cùm superior sit Deus: nec in tali peccato impunita relinquitur, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Cùm autem Deo delectatur,*
Dei amor. *ibi veram, certam, æternam inuenit requiem, quam in alijs quærebat, nec inueniebat. Proinde admonetur in Psalmo, Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.*

Dixerat in superiobus: *Requies est quædam ab omni labore omnium molestiarum, sancta atque perpetua, in quam nobis ex hac vita fit transitus. Inest autem in illa requie, non desidiosa segnitia, sed quædam ineffabilis trãquillitas actionis otiosæ: sic enim ab huius vitæ operibus in fine requiescitur, vt in alterius vitæ actione gaudeatur. Neque reditur ad labores & curas, sed permanet in actione, quæ ad quietem pertinet: neque enim in opere laboratur,*
neque

neque in cogitatione fluctuatur. Ista D. Augustinus, è quibus certior sim, nusquam quietis aliquid mihi fore, sed perturbationis, & dolorum, terrorumque plurimum, si aliò quàm ad meum, omninoque præstantissimum finem respexero.

Ab amore ad actione.

Benè quidem: nunc autem quid prætereà adiungam, vt in hoc benè riteque iudicato perstem? Certè, hinc mihi ad vitæ actiones omnes, & ad rerum omnium vsum, normam iudicij, certamque regulam præfigam à qua ne latum vnguem discedam. Et hæc esto:

Actionum norma.

Quæcumque vel vtenda foris, vel intus habenda dedit Deus; vtenda, habenda, ad eumdem finem vel certiùs, vel copiosiùs, vel iucundiùs obtinendum dedit. Prudentis enim artificis est, operi suo planè nihil indere, quod operis fini repugnet; id verò indere & addere, quod ad eiusdem finis ornatum, commoda, præstantiam faciat: itaque architectus habitationem domus exornare, amplificare, firmare conatur, at cauet ne quid habitationi (quæ finis est) aduersum statuat. Cùm igitur omnium sapientissimè hominem, & homini mundum architectatus fuerit Deus, pro certo habendum est, id quidquid in ipso homine, quidquid etiam homini extra hominem produxit,

xit, ita produxisse, vt ab homine possit & debeat ad eiusdem finis consecutionem referri. Tota hæc ipsa vita, nonnisi ad aliam vitam est quasi via, quasi itio ad patriam. Quid ergo magis consequens, quàm vt huius nostræ vitæ omnis actio, cogitatio, res omnes, Dei cultum, beatamque spectent æternitatem? Hinc & illud mihi non minùs certum erit,

Sensus & facultates, & alia quando bona. Corporis mei sensibus, & membris, viribus & forma, animi facultatibus, memoria, intelligentia, voluntate, cęlo, terra, rebusque procreatis omnibus, omniq; quamuis vario euentu, ita vtendum esse, vt ad honorem diuinum promouendum, & salutem animi conferant, vt ex eis vel diuinæ bonitatis liberalitatem, vel iustitiæ secreta & iusta iudicia, vel sapientiæ mirabilitatem agnoscam, vt ex eis vel patienter perferendi, vel virtutes depromendi, vel varias pietatis exercitationes frequentandi occasionem sumam. Tunc mihi ista cuncta, bona; tunc vtilia futura sunt, si sic vsus eis fuero.

Quando mala. At contrà, si me ipso, si rebus procreatis aliter vtor, si earum insano amore capior, si non aliud ex eis quàm commoda mea, meas voluptates, honores euanidos, libidinum satietatem aucupor, profectò ad finem ad quem procreatus sum non respicio, à

scopo

ſcopo aberro,longiùs à beatitudine recedo, aliumque rebus illis vſum affingo,quàm in quem eas dederat Deus : ideoque ſum & Deo & procreatis rebus iniurius ; non diſſimilis illis prodigis liberis, quibus largè ad ſtudia litterarum ſumptus ſuppeditant parentes, at illi in luxum & cupedias malè cuncta liguriunt,& virtutis alimenta, in gulæ atque luxuriæ fomenta conuertunt. Atqui quando ſic præpoſterè rebus vtor, venena ſunt, quæ cibus eſſe debuerant.

Etenim cibus ille ſaluber eſt, quem qui comedit, in ſuccum, & vt vocant, chilum bonum conuertit, ac inde benè temperato ſanguine vires reficit : finis quippe cibi & potus eſt, vitæ humanæ ad ſuas functiones apta reparatio. Si verò cibus aut nequit cõcoqui,aut noxios humores progignit,aut etiam (veneni inſtar) non ipſe comedentis vitæ,ſed comedentis vita fit ipſi ſimilis,profectò non iam cibus, ſed pernicies eſt comedentis. Haud ſecùs hominis vita eſt Deus, ad quem recto animi, corporis, rerumque creatarum vſu tendimus ; hoc vſu, (ſi ad Deum dirigitur) nutrimur,fouemur, vegetamur, excreſcimus: at, ſi creaturis ita vtimur, vt inde nihil in vitam noſtram, quæ Deus eſt,redundet, ſed alio quopiam fine, alio amore ducamur,tum verò vſus ille peruer-

Curi

Vſus rerum,

& abuſus.

uersus, noxius, ac non rarò letifer esse solet.

Erroris agnitio. Heu quoties, bone Deus, donorum tuorum iucunda liberalitate abusus, abduci me ab externa specie sum passus! quoties sensuum illiciente blanditie illudi mihi, neque indolui, & gauisus sum, & vltrò vt illuderent incitaui! quoties instar ratis medio mari tempestate deprehensæ, ita mearum perturbationum sæua procella iactatus, improbissimis sum fluctibus absorptus! Obtexerant diem tenebræ, nec ad iactandam, consideratione finis, anchoram furiata mens respectabat; cæca nocte ferebar improuidus, in extrema naufragia ruebam præceps, Charybdi & cupiditatum Syrtibus impauidus inuoluebar: tu verò Deus meus, & summe misericors, ruentem eruisti, seruasti perditum, tempestatem sedasti, cupiditatū æstus sensim restinxisti, luce veritatis animum complesti, scopulos minantes, moxque voraturam voraginem videre & effugere dedisti, aliorum vela, alio & sanctiore diuini Spiritus vento afflante vertisti, ad te Domine, verum & vnum & beatissimum nauigationis & vitæ humanæ finem lenissimè conuertisti.

Meliora spondet. Plus satis erratum, certissimam in posterum sequar Helicen, cursus ducem. Aduertam sedulò; vt & ego & mea omnia ad Deum

Deum meum, propter Deum meum, rectissimo fine referantur. Planè nihil mihi bonum vel vtile putabo, nisi ad Deum, eiusque sanctam gloriam, & ad animi mei salutem profuerit. O beatum, sua si natura vti nouerit, hominem! Nihil ei, pręter solum Deum, & quæ ducunt ad Deum, esse potest vtile. Magnam sanè dignitatem, vt neque cuiquam alteri seruiat, & soli Deo seruiat, vt illi se totum, omnesque res suas dedicet! *Anima*, benè dixit D. Augustinus, *deserto Creatore, amans creaturam adultera est. Illius enim amore nihil castius, nihil delectabilius. Illo deserto, hanc amplectendo efficeris immunda. O anima, vt illius amplexibus digna sis, dimitte ista, & illi inhære gratis: nam inde dixit Psalmus: Mihi autem adhærere Deo bonum est*. Sic enim non adultera, sed fida sponsa es, & in vnam bonorum, honorum, beatæque immortalitatis communionem, cum Deo magno vocaris. Hom. 38. libro 50. Hom.

His ita positis, & certissima veritate firmatis, aliud quoque magni momenti consequitur, nempe, eorum omnium quæ procreata sunt, vel casu aut extraria vi euenire possunt, nihil esse quod se solo naturaque sua mihi bonum sit, aut malum: ex quo id quoque conficitur, vt neque in expetendis, neque in fugiendis sit reponendum. *Res, & euentus, neque boni neque mali nobis.*

Etenim

Nec enim seipsis ad finem ducunt.

Etenim si id solum & bonum expetendum est, quod mihi ad consequendum finē conducit; id contrà malum atque fugiendum, quod à consecutione finis abducit: cùm nulla res, nullus casus, naturâ suâ sit eiusmodi, vt suum homini finem conciliet, aut auferat; prorsus fatendum est, neq; res, neque casus, neque humanæ vitæ euentus varios, naturâ suâ aut bonos aut malos, aut expetendos aut fugiendos esse. Imò verò, cùm iisdem rebus benè quidam, malè alij vtantur, imò idem homo eadem re nunc benè, pòst paulò malè vtatur; asserendum est, natura sua neque nobis bonas, neque malas esse; sed tum bonas quando benè, & ad rectum naturæ meæ finem; tum verò malas, quando malè, & prauum in finem iis vtar.

De rebus procreatis & naturalibus actibus, non de virtutibus aut vitiis hîc est sermo.

Amor & odium quando, & quas in res.

Atque hinc id quoque præclarum conficio, nullam in rem vel amore, vel odio & horrore præcipiti ferri me debere: sed tum tantùm, & tamdiu quidpiam amabo & expetam, cùm & quamdiu ad finem ad quem creatus sum conducet; si non conducet, aut conducere desinet, à me depellam, & excutere conabor. Si dubitauero, conducat nécne; dubitabo, sit amandum nécne, nec ero in amore præfestinus, donec compero, quid ad meum illum finem opportunitatis

tatis importet: hinc pono, hinc ſumo amores. Itaque neque diuitias paupertati, neque vitæ ingloriæ honores, neque infamiæ laudem, neque morbo ſanitatem, neque morti vitam, neque incommodis atque doloribus commoda atque voluptates præferam, niſi certa ex hoc meo fine argumenta deſumpſero: quando ſcilicet animaduertero, quampiam horum partem, ad finis mihi propoſiti, ſalutis meæ, diuinæque gloriæ certiorem & copioſiorem conſecutionem magis conferre: hanc enim partem omnino & conſtantiſſimè alteri præferam.

Quomodo moderandus affectus.

Hac eadem ratione, innatos, & cum lacte nutricis hauſtos, vel cõſuetudine roboratos moderabor amores, cuiuſmodi ſunt in parentes, conſanguineos, affines, liberos, patriam, amicos, ſocios, & rem aliam quamcumque: non committam, vt eorum cauſa minùs ſim Dei audiens, nihil in eorum gratiam omittam quo crederem diuinæ glorię, ſalutíſve meæ ſecuritati derogari: malè ſuadentibus aures obturabo; amabo, ſed ſecundùm Deum, & omnia eis ad Deum quàm maximè conducentia optabo, & quà licuerit prouenire curabo: certus neque mihi neque ipſis bonum eſſe poſſe, quod non ad Dei gloriam, ad animi ſalutem faciat.

Denique conſiliandi, deliberandi, aggre-

Scopus vbique spectandus.

diendi, agendi, respuendi, cessandi, hunc mihi certum scopum præfigo, hanc æternùm obseruandam normam statuo, vt in quibusuis momentosis aut perennibus, exilibus aut permagnis, hoc spectem, hoc ipse mihi obiectem: Quod nunc agitur, conducítne ad finem & salutem? conducítne vt certiùs, vt perfectiùs eum consequar? Si abducit, omnino respuam, sit licet sensui gratum, & quantocumque in id ferar affectu: linguæ, oculis, auribus, voluptati, & desideriis meis ea omnia præfractè negabo, quæ perfectiùs assequendo fini obicem ponét: nihil mihi tam iucundum aut charum, quin lubens id perdam, ne perdar ipse. At si quid comperero quod ad salutem conducat, id verò & lubens persequar, tantoque lubentiùs & ardentiùs, quò conducibilius id esse iudicauero. Sit licet sensibus graue, inolito affectui aduersum, naturæ molliori asperum, hominum derisiunculis expositum, variis difficultatibus obseptum, si per illa excelsiùs ad finem pertingo, perrumpam, euincam, nitar tamdiu, donec victor enitar. O verè me felicem, si omnem omnium amorem exuens, vnum pro omnibus, & præ omnibus amorem Dei induo!

Exemplo Christi.

En amor meus, Deus meus, IESVS CHRISTVS, & crucifixus est, & nudus est!

est! priùs nudus quàm crucifixus, priùs huius mundi omnia deponens, quàm salutis hominum grandia illa mysteria perficiens: ô vtinam sic affectum omnem ponerem, sic ex animo meo omnem rerum ad Deum non ducentium memoriam eraderem, in eoque quàm constantissimè perstarem, vt neque iucunda neque molesta, neque honor neque infamia, neque mors neque vita, neque præsentia neque futura, me vel tãtillum vmquam à Deo meo, vero fine meo, abducerent! Quis mihi miserrimo & imbecillimo peccatori id dabit, nisi gratia benignissimi Domini mei IESV CHRISTI?

Sed hactenus dictum sit de verissima, certissima, perfectissima, actionum, consiliorum, volũtatum omnium regula, ex qua non solùm omne vitium, sed & imperfectum, & quamcumq; parũ obliquans deprehendi potest. Excute, experire, & post longos annos plura in dies excutienda reperies.

CAPVT X.

Quanti finis ille, siue salus nostra facienda sit?

TANTA res est, & vel solo nomine tam iucunda salus, nemo vt sit qui non & libentissimè de illa audiat, & se illam quàm *Salus amatur.*

maximè cupere non afferat. Sed nescio quo pacto fit, vt variis cupiditatibus, persuasionibus, præsentium amoribus in transuersum acti mortales, curis alienis se totos immergant, veram salutis curam de cogitatione deponant. Prata, siluas, campos pererra, frequẽtissimas vrbes adito, ad tribunalia, ad Academias, ad militares copias, & quosuis hominum refertissimos conuentus irrumpe, quàm potes voce contentissima inclama, Quorsum, ô mortales, tot tamque multiplices labores, sudores, industriæ? Erúntne ex illo tanto numero vel pauci, qui sibi vel sic salutem suam curæ esse respondeant? At passim omnes, vel inopiam esse depellendam, vel congerendas opes, vel honori velificandum suo dicent. adeò iis quæ incurrunt in sensus, quæve præsentia sentiuntur, æterni prouida mens hebescit!

& latè contemnitur.

Tu verò, adolescens, priusquam altiùs in huius vitæ mare prouehăris, ipse te respice, cursus tui tibi finem portumque præfige: fac vt nihil tibi tua salute sit antiquius. Ipse tibi quàm frequentissimè sacrum hoc & salutare carmen accine: *Quam dabit homo commutationem pro anima sua? Quid prodest homini si totum mundum lucretur, & animæ suæ detrimentum patiatur?* Quid proderit superbia, quid diuitiarum iactantia confe-

Acroama saluberrimum.

ret,

ret, voluptatum elapſarum congeries quid iuuabit, cùm æternis ignibus æternùm addictus incendar? O ſi hiſce oculis daretur intueri! & quídni mentis oculis intuebor epulonem illum diuitem, laſciuas Helenas, ambitioſos Alexandros, voluptarios Heliogabalos; infinitam quamdam damnatorum turbam, nihil olim niſi res præſentes ambientem: vrgerem, ſciſcitarer, ecquodnam in tot malis præſentibus, ex præteritarum voluptatum, epularum, ambitionis, recordatione ſolatium hauriant? Veriſſimè ſanè reſponderent: *Tranſierunt omnia illa tamquam vmbra, & tamquam nuntius percurrens, & tamquam nauis quæ pertranſit fluctuantem aquam, cuius cùm præterierit, non eſt veſtigium inuenire, neque ſemitam carinæ eius in fluctibus: aut tamquam auis quæ tranſuolat in aëre, cuius nullum inuenitur argumentum itineris, ſed tantùm ſonitus alarum verberans leuem ventum, & ſcindens per vim itineris aërem, commotis alis tranſuolauit, & poſt hoc nullum ſignum inuenitur itineris illius: aut tamquam ſagitta emiſſa in locum deſtinatum, diuiſus aër, continuò in ſe recluſus eſt, vt ignoretur tranſitus illius: ſic & nos nati, continuò deſiuimus eſſe: & virtutis quidem nullum ſignum valuimus oſtendere, in malignitate autem noſtra conſumpti ſumus. Nos* *Leſſus eorum qui contempſerunt, & perierunt.* Sap. 5.

 inſen-

insensati, vitam iustorum æstimabamus insaniam, & vitam illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est! Ergo, errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis! Talia dixerunt in inferno, hi qui peccauerunt. Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum, & cogitatio eorum apud Altissimum. Ideò accipient regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini, quoniam dextera sua teget eos, & brachio sancto suo defendet eos.

Sacrarum litterarum veritatem pariter & maiestatem agnouisti; vide ne similis impiorum, diuinæ olim iustitiæ exemplar euadas. Quempiam è nuperis Christianis istuc detrusum contemplare; quid illum in tantam miseriarum voraginem compulerit interroga. Ah! se aliud agentem, nescientem, derepentè, improuisa ruina dicet inuolutum. Si obieceris, Numquid non saluus esse voluerit; Volui, inquiet, sæpè volui, & velle sum professus: at, at! dum præsentibus cupiditatibus inuoluor, dum vitæ deliciis totus diffluo, dum anxiæ hominum curæ huc illucque in varia trahunt, heu tenuia illa virtutum semina suffocata sunt, salutisque semitam non terens, ad extremum letaliter

Sunt & hodie similes non pauci.

taliter perij, & qui mihi cùm cauere potui nolui, tandem cùm cauere voluissem, non potui; vita, salute, spe omni miser excidi.

Sed alios ita vide, vt in illis teipsum videas. Fuêre, tui instar, adolescentes, integris viribus, ingenio peracri, in magnarum rerum spé nati, ad virtutem educati, longiùs in pietate prouecti: verùm ecce blandientium & ad se allicientium Sirenum vocibus pellecti, id nauigij vitæque genus, rimosum, fragile, humile conscenderunt, cui se salutemq; suam Deo non auspice malè audaces crederent: inde, quæ dęmonis est fallacia, secundissimis vsi ventis, nulla pietatis, nulla virtutum damna sensere; socordiam pariebat ipsa securitas: at mox & sensim vbi negotia implicari cœpere, curis mens inuoluta turbata est, virtutis ardor elanguit, vitia succreuere, & fatigatis hostilium aggressionum continuatione viribus, victas manus dedere, ac demum egregiam illam adolescentiæ spem, æterna morte succisam perdiderunt. *Sed & tui similes.*

Quid igitur? sic illi periere, quia vitæ genus, Deo non ducente, salutis cura non agente, sed vel propria vel aliena cupiditate atque inductione sectati sunt. Tu tibi, dum licet, caue; quò te tua ducit salus, & nusquam aliò sequere; hac duce, Deoque duce tuta tibi sunt omnia. *Alieno sapias.*

In perfectiore Statu duo sũt: Præterea velim diligenter & intentè expendas, quanti sit, vitam habere, & abundantiùs habere. Nam quicumque aut virtutem aut vitæ genus suapte natura perfectiùs sequitur, duo quædam ingentia bona

1. Certior salus: consequitur. Primum, quòd tutiorem certioremque salutem suam reddit: etenim quò maior est virtus, eò longiùs à vitiis & peccato recedit. atqui salutem suam, securiorem

2. illustrior. reddidisse quantum est? Alterum, quòd quamdam boni maximi accessionem facit: infinitum quiddam est, alterius vitæ gloria, æternumque & infinitùm duratura. vnde si quid ei addideris, infinitum, & sine

Ambitio præpostera. fine durabile addidisti. O iudicij miseros mortales! tantíne est diuitiis, gloriæ, aliquid hîc adiecisse, agros agris, vrbes vrbibus, regna regnis adiunxisse: & hæc angusta, moxque peritura sunt: illa verò cælestia, augustissima, perennantia cõtemnitis? Quid facitis, ambitiosi, quid vultis? si vos vestræ conditionis quispiam præcesserit, dispudet, indignamini, non ferendum inclamatis; & verò æternam vobis præripi gloriam, idque ignauia & socordia vestra perferetis? Vbi contentio, vbi æmulatio, vbi iustior quàm hîc maioris gloriæ & excelsitatis appetentia?

Hom. 15. in Euang. Præclare Magnus ille Gregorius: *Solæ diuitiæ veræ sunt, quæ nos diuites virtutibus faciunt.*

faciunt. Si ergo, fratres charissimi, diuites esse cupitis, veras diuitias amate. Si culmen veri honoris quaeritis, ad cæleste regnum tendite. Si gloriam dignitatum diligitis, in illa superna Angelorum curia adscribi festinate.

Referam, animi gratia, quod Zonaras tradit. Icasia quædam fuit, genere nobilis, at moribus & forma nobilior virgo. Cùm autem Imperatori iuueni vxor quæreretur, aduocatæ selectæque sunt præclarissimæ virgines, & in seriem ita dispositæ, vt mox pertransiturus Imperator, pomum aureum illi traderet, quam sibi in vxorem destinare placuisset. Aduenit, &, ô rem permiram! ad Icasiam cùm peruenisset, tanto pulchritudinis prodigio obstupuit, suique impos, Theodoræ, quæ adstabat proxima, pomum tradidit, factique tenax, eam pro Icasia vxorem habuit. tam exiguo, tantæ res, quantæ inde secutæ sunt, momento steterunt! At Icasia, (vt est mulierum genus despicatus impatiens, vbi maximè de forma lis fuerit) cùm Imperatorium thorum semel ambiuisset, ac fortasse iam spe præcepisset, inferioribus inseruire dedignata est, & repulsa benè vtens, immortalem sibi sponsum, & Imperatorum Imperatorem IESVM CHRISTVM, perpetuâ in cœnobio castitate expetiit, & repulsæ secura impetrauit. En ani- Tom. 3. in Theoph. *De Icasia.*

E 5 mos

mos in virgine viriles, en ambitionem felicem! Forsan & tu quoque laudabis, an etiam imitaberis? nescio. Quotusquisque ad excelsa, imò & diuina vocatus, ad infima reuolui dedignatur? quot sibi sponsas habere voluit, vocauit, inuitauit Deus, at nihilominùs ad maritos, ad vxores, inglorij ruunt? Vtinam quæ æterna sunt, quæ ad salutem animi faciunt, pro dignitate sui ęstimentur!

Nostræ summus æternitatis fabri. Lib. 4. Moral. cap. 42.

Æternæ, dum hîc viuimus, conditionis nostræ, quales volumus, fabri sumus. *Quia in hac vita nobis est discretio operum*, inquit S. Gregorius, *erit in illa proculdubiò discretio dignitatum, vt quo hîc alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat*. Velocissimo hæc vita fugit impetu, & quodcumque semel præteriit, irreuocabile nobis abiit, quod semel in æternitate fixum fuerit, ęternùm immutabile perstabit: prout hîc sementem ieceris, ibi demetes, angustè, parcè, tenuiter, si te angustum, parcum, illiberalem Deo præbueris; largè, amplè, munificè, si te, si tua omnia Deo integerrimè, & quàm potueris contentissimè dedicaris. Paulisper, quæso, cogitatione teipsum in istam vitam transferas, ibi immensitatem pulcherrimarum, neque vmquam marcescentium coronarum intuere, ô quantopere desiderabiles illæ sunt! coronas coronis aggerasse

geraſſe quàm fuerit præclarum! ſi comparandi & quaſi mercandi tempus effluxerit, neque comparatæ fuerint, quantus hinc dolor! eia ergo, feſtinemus, non alio proſtabunt quàm huius vitæ tempore venales.

CAPVT XI.

Quàm leni via ad conuenientem vitæ Statum ducamur, & quàm ſit ſequenda.

ADEO, ad Deum factus eſt homo: ſed factus ad Deum, per quem ducetur ad Deum, niſi per eum, qui ſolus ad ſe accedentibus præſtare poteſt acceſſum? Ab eo vt naturam, ita omnem quæ naturæ accedere poteſt perfectionem expectare & ſperare nos oportet: ab eo & veritate intellectus, & bonitate atque virtute voluntas ornatur. Ab eo lux eſt qua bona videmus, ardor quo recta volumus, robur & conſtantia, qua ad extremum vſque perſeueranter volumus, quod rectum volumus. *A Deo ad Deum homo.*

Cùm autem naturæ ſuæ immenſitate ſit vndequaque diffuſus, bonitatis verò largitate, quæcumque creata ſunt, cupidè foueat, paternè amplexetur & dirigat, ſuam ſingulis opem pro naturæ & indigentiæ conditione obuius impertit: volentem & intelligentem fecit hominem, ergo voluntate & intel- *Cuius ope?*

intelligentia eum ducit, præſtoque adeſt, vt certam ſe duce viam vitæ ſubeat: tantùm eſt vt ſequi velimus, & nullus relictus erit errandi locus.

Conciliatricibus inſpirationibus. Præit verò & ad ſequendum inuitat ſanctis inſpirationibus, quas iugiter & ingenti copia hominibus ſolet elargiri. Cùm enim D. Auguſt. in Pſ. 118. Conc. 18. Baſil. in Pſal. 38. ratione & intelligentia homo ſit præditus, lucis, veritatem demonſtrantis, eſt capax; eaque luce non rarò ſic à Deo illuſtratur, vt id videat quod verè oſtenditur, imò & ipſammet interdum videat veritatē: quamquam nec à Deo ſolo, ſed aliquando, ita volente & adiuuante Deo, etiam à ſanctis Angelis mens hominis eiuſmodi luce complectur, quando ſcilicet ſuprema pars animi, ſibi quoſpiam cogitatus quaſi deſubitò immiſſos efformat. Qui cogitatus cùm à Deo ſolo proficiſcuntur, id habent quod notauit Vide 28 Mor. c. 2. 3. 4. 5. & 6. & in Ezechielē Hom. 1. 13. & 14. S. Gregorius: *Sola nobis vis internæ adſpirationis aperitur. De verbo eius ſine verbis ac ſyllabis cor docetur, quia virtus, eius intima quadam ſubleuatione cognoſcitur.* Lux eſt claritate, vox perſpicuitate, impulſio virtute. Vulgò inſpirationē vocamus, quod nomen ſignificantius eſt: ſic enim indicatur, non à nobis ſed aliunde & foris aduenire, imò & à S. Spiritu eſſe: de his enim agimus quæ bonæ rectæque ſunt. item non tantùm eſſe lucem,

lucem, quæ ſit veritatis index, ſed ad id quod commonſtrarit impultricem, vires & animum inſtigantem.

Adeſt igitur frequentiſſimis S. Spiritus inſpirationibus Deus, & pro ſuæ prouidentiæ leniſſima diſpenſatione, ibi crebrior & dilucidior adeſt, vbi vel magis eſt neceſſarius, vel naturalis luminis vigor deficit. Quo fit, vt cùm de Statu vitæ diiudicatio ſit pernecessaria ſimul & perobſcura, huic illuſtrandæ & dirigendæ quammaximè adſit Deus; nemo vt hîc errare poſſit, niſi qui ſe prior eius ductui luminique ſubduxerit. *Vbi minùs deſint:*

Mirabitur hîc benè natus, probè educatus adoleſcens, eſſe qui ſe Deo ſubducere auſit. Miretur ſanè, atque vtinam miretur ſemper, experiatur numquam! Crebrum tamen eſt, multoſque reperias qui ſe Deo committere, diuinis inſtinctibus regendos tradere, non auſint. quid enim? ipſi ſibi finxere, ſi id fecerint, continuò ad auſtera, grauia, triſtia, iucunditatis omnis inimica vocaturum Deum, de quo necdum in bonitate ſentire didicerunt. Falſum prorſus, & à Dei ignoratione proficiſcens: vt iam olim veriſſimè notauit diuus Bernardus his verbis: *Ego dico omnes ignorare Deum qui nolunt conuerti ad Deum. Neque enim ob aliud proculdubiò renuunt, niſi quia grauem & ſeuerum* *Et ſunt qui ſe ſubducant.* *Quàm falsò.* Hom. 38. in Cant.

uerum

uerum imaginantur, qui pius est; durum & implacabilem, qui misericors est; ferum & terribilem, qui amabilis est: & mentitur iniquitas sibi, formans sibi idolum pro eo quod non est ipse. Quid timetis modicæ fidei? ut peccata nolit remittere? sed affixit ea cruci cum suis manibus, quòd teneri & delicati estis? sed ipse nouit figmentum nostrum, quod malè assueti, & ligati peccandi consuetudine? sed Dominus soluit compeditos. An de vestimento solliciti estis, vel cibo, ceterisq́ue corpori vestro necessariis, & propterea cunctamini relinquere vestra? Sed scit quia his omnibus indigetis. Quid vultis amplius? quid iam impedit à salute? Quid à Deo sequendo retardat? *hoc est quod dico, Deum ignoratis.* ignoratis quanta suauitate cunctis obsecundet, quanta alacritate voluntatem timentium se faciat. Oculi eius super iustos, & aures eius in preces eorum.

Suauiter omnibus consulit Deus.

Et verò vniuersum hunc rerum ordinem intuenti, mira quædam diuinæ bonitatis quasi redundantia se prodit, cùm vndique animaduertitur quanta cura, sapientia, conuenientia, animantibus omnibus, non tantùm necessaria prouidè largitur, sed vnicuique conuenientes etiam oblectationes pro naturæ conditione dispertit. Eásne homini, quærenti, amanti Deum deneget, quas vltrò vilissimis animalculis addidit?

Sed

Sed eas intelligo, quæ sint homine dignæ, quæ ad vitam iucundè & ex virtute traducendam faciant, quæ omnem eius, quam auctore Deo instituerimus, vitæ molestiam aut leniant, aut penitùs exstinguant. Quippe *quantò benignior & dulcior est diuina clementia quolibet homine, tantò suauius esse manifestum est iugum eius ceteris omnibus:* ait D. Bernardus. Cùm enim omnis iucunditas, alacritas, gaudium, tranquillitas, & quoduis boni atque desiderabilis genus, ita sit in potestate Dei, vt numquam nisi ab ipso possit obtingere, possitque Deus quamcumque rem, & quandocumque libuerit lætitiis inspergere; cuinam potiùs id sperandum est esse facturum, eine qui inspiranti & suadenti sibi fuerit obsecutus, an ei qui in alia omnia diuersus abiuerit? Quid ergo dicemus asserenti? *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Serm. 26. de diuer. *Cui suauius.*

Enimuerò non satis capio, quî possint sanæ mentis homini tam insana esse deliria, vt credat, suo vel cuiusquam alterius iudicio vel consilio, posse se meliùs & certiùs, quàm diuino, statuere de vitæ Instituto benè, iucundè, conuenienterq; naturæ, ex diuina lege atq; voluntate deligendo. Quis, quæ Dei sunt, nouit nisi Deus? à quo volun- *Nemo meliùs consulitur quàm Deus.*

lun-

luntatis diuinæ consilium, quàm à Deo rescies? sed forsan non id quæris vitæ genus quod velit Deus? non ergo id quæris, quod vita, quod veritas, quod bonitas velit? & suscipies quod morti, quod falsitati, quod malitiæ vicinius fuerit? Quem sequeris, quando Deum non sequeris? quem consulis, quando alium consulis?

Non enim sua sed nostra quærit commoda Epist. 5. ad Marc.

Perpende, quæso, quod verissimè D. Augustinus, *Nihil Deus iubet quod sibi prosit, sed illi cui iubet. Ideò verus est Dominus qui seruo non indiget, & quo seruus indiget.* Quid enim à summa nostra egestate infinitus ille bonorùm thesaurus emendicaret? Cùm igitur nos aliquò vocat, cùm à nobis aliquid exigit, non sua, sed nostra causa, nostro commodo, nostra vtilitate id facit: si respuimus, alioque auertimur, id omne gloriæ, boni, & commodi respuimus, quod ab eiusmodi diuini consilij auditu prouenturum erat: & huius damni æstimatio, humani ingenij captum superat. Cùm enim ad quemdam vitæ Statum vocauit Deus, eoque despreto alium præfers: vocando seriem quamdam auxiliorum gratiæ offerebat, quibus omnis istius vitæ leniretur asperitas, superaretur arduitas, cupiditates frenarentur, vitia sopirentur, virtutum exercitium efflorescere, sancta perseuerantia

Aliàs quanta damna incurrimus!

vige-

vigeret, æterna denique gloria ſequeretur.

Quæ, & alia plurima, obſtinationis vnius aſpernatione reiectas, ſi vocanti Deo ſurdus, aurem cordis occludis, cui, niſi tibi, damnis iſtis nocetur? cui alij quàm tibi, tot iſta dona profuiſſent? Ergo cùm de vitæ genere agitur, cùm aliquò trahere videtur Deus, noli credere cuiuſquã alterius quàm tuam ſecuritatem, ſalutem, ęternamq; gloriã ſpectari: ſequere iucũdus: Deum ducem ſequi, quis vmquam duxerit eſſe pœnitendum?

Verùm ſi me duci ſiuero, inquis, quò noluero ducar. A quo, inquam ego, ducêris? A Deo, inquis, qui etiam nolentem trahet. Sed heus tu, quid iſtud loqueris? ergóne diuinam voluntatem tua præcedet? ergo mauis temerè præcurrere, ne prudenter ſequaris? túne tibi viæ tuæ dux melior quàm Deus? voluntas illa tua adeóne tibi bona eſt, vt etiam (ô cogitatum impium!) putes eam diuinâ voluntate meliorem? ſi non putas meliorem, quid ergo times? ne cum diuina, eaque meliore mutetur? quid homini optabilius, quàm vt qui minùs rectè voluerat, meliora velit atque rectiora? Itáne verò? ſcholarum limina terentur, regiones exteræ labore & pretio magno adibuntur, pręceptoribus auris attenta præbebitur, humano credetur magiſterio; idque vt tantillum

In timentes duci quò nolebant.

F quid

quid ignorantiæ abs animo depellatur: & hanc rerum optimarum, & ad animi salutem maximè necessariarum, latentium, obscurarum, ignorationem ne depellas, nè voluntatis ad noxia, & æternùm perimentia aberrantis prauitatem corrigas, Deo tuo te subtrahis, audire contemnis, ignorare affectas?

Ducentur quò volēt. Audi tantùm, & molliri te patere: ipseq; miraberis, non imperiosum quemdam & inamabilem Dominum esse Deum, qui timeri malit & frangere, quàm amari & leniter flectere. Tuæ se voluntati, si mala, si perniciosa tibi non fuerit, amicus adiunget: at si errore, si affectu cæco laboret, lenissimè instar gratæ lucis, instar lenè fouentis ardoris, eas notiones, eos menti sensus immittet, quibus ipse summa contentione in contraria feraris, amoreque sancto, certo, non errante, instabiles incertosque tuos errores damnes & corrigas: quo quid optabilius excogitari potest?

Si, quod noluerit Deus elegerint, eliget, & faciet quæ nolent. Sed est quod vehementer extimescas, quod tibi licet breuius dictum, attamen plurimùm commendatum sit oportet: Nempe, certissimò credas, omninoq; euenturum putes, Deum tibi asperrima plurima, & ingentes molestias immissurum, si tuis cupiditatibus sanctissimam eius voluntatem

tem posthabeas: nec enim æquum est, vt cuiquam, quòd à Deo recesserit, feliciter cedat. Sapientissimam Dei prouidentiam decet constanti atque perpetua sęculorum & hominum omnium contestatione sancire, NVMQVAM EI HOMINI BENE ESSE POTVISSE, QVI RELICTO DEI DVCTV, SVIS MALVERIT CONSILIIS OBSEQVI. Probationibus supersedeo: Magnum illum Gregorium magnificè testantem accipe: *Quia plerumque contingit, vt pœnas quis metuens iustitiam deserat, fit iudicante Deo, vt etiam iustitiam deserens, pœnas, quas timuit, non euadat, & qui mentis interitum minimè timuit, etiam carnis mala toleret, quæ timebat.* Lib. 14. Moral. cap. 20. Deúmne propterea non sequeris, quòd diuitiarum, voluptatum, cognationis & familię sis amantior? seriùs, ocyùs, tuis tamen ipsius oculis opum iacturam, villarum, domorumq; incendia hauries; variis morborum, vulnerum, calamitatum doloribus & angoribus excruciaberis; parentes, vxor & liberi immatura morte morientur: deficiente proprio, erit heres alienus; nec erit, qui nominis tui ad posteros propagator existat. ô quantis hæc sunt probata documentis! tu vide, vt alienis sapias.

Quid tamen est, quòd malè, quod falsè tibi persuadeas, vnam quamdam in partem, *Non ad vnum statum vocat Deus.*

vnum in ſtatum & non alium vocaturum Deum? Cur iſtud? adeóne ceteri omnes tibi viluere? tibi reiectanei videntur? ignoras Eccleſiam ſanctam non tantùm temporibus, non tantùm regionibus, ſed etiam Statibus non illicitis eſſe Catholicam, ſeu vniuerſalem? nullum reſpuere Statum, vbi ſine Dei iniuria, ſine diuinorum violatione præceptorum viuitur? *In quacumque profeſsione tenuerit homo fidem quæ per charitatem operatur*, ait epiſtola Synodalis Epiſcoporum Africæ in Sardinia, *erit vas in honorem ſanctificatum, & vtile Domino, ad omne opus bonum paratum.* Amicitur Eccleſia varietate, affertque apta Statuum diſtinctio, tum in hac vita, tum in altera, iucunditatis, & decoræ pulchritudinis plurimum. Sunt Reges, ſunt Imperatores, Principes, Pontifices, Sacerdotes, Religioſi, virgines, coniugati, milites, agricolæ, Iuriſperiti, Medici, alijque plurimi, quorum egregiæ in cęlis coronæ recenſentur. Tu, qui necdum quid horum ſis futurus neſcis, quid iudicia præcipitas? quorſum id exhorrere, id exambire, fugere, perſequi, quod nondum tibi præſens exhibetur? equidem longè te malim, Deo vocante, coniugatum, quàm non vocante Religioſum. Ergóne, inquis, ad coniugium vocat, à Religione repellit aliquando

Habetur præfixa lib. D. Fulgent. de Prædeſtinatione.

do Deus? Equidem in nonnemine id ita fieri certissimè credo: neque tamen nunc disputo; id hortor, & suadeo plurimùm, vt tu ipse, quid à te reposcat Deus, intentiùs attendas, sollicitiùs postules, fortiùs compleas. Expande animum Deo; subibit, lætitiaque & iucunditate refertum in salutis æternæ viam firmissimis præsidiis manuducet.

CAPVT XII.

Quanti sit periculi, diuinis inspirationibus haud obsequi.

INSPIRATIONES, seu diuini instinctus hîc à me, & passim omnibus intelliguntur impulsus quidam leniter, ac interdum vehementer, incitantes ad id quod gratius Deo est, quodque liberè absque vllius violatione præcepti facere, vel omittere possumus. *Inspiratio quid?*

Creberrimè, ac propè assiduè dantur hominibus, tum ad singula opera bona atque cogitatus, tum ad res plurimas atque præstantissimas, quæ præ socordia negliguntur; maximo sanè diuinæ liberalitatis argumento, quæ tantas, tam ingratis, largissima profusione prodigere non cessat. Dicuntur verò diuinæ, partim quod à Deo solo animis *Crebra.* *Diuina.*

infunduntur, partim quòd sursum semper & ad diuina trahunt, partim denique quòd in Deum, vt solum bonorum omnium fontem referendæ sunt.

De his aure sedula obseruandis latissimè dici potest, & vix vmquam satis, cùm in hoc pænè sint omnia. Contraham paucis quæ diligentiùs expendas.

Audienda. Ac primò quantoperè, & meritissimò se audiri velit Deus, & ipsiusmet verbis attendamus. Apud Ieremiam ait: *Hæc dicit Dominus: Locutus sum ad vos manè consurgens, & loquens, & non audistis: & vocaui vos, & non respondistis. Proijciam vos à facie mea, sicut proieci omnes fratres vestros. Tu ergo noli orare pro populo hoc.* Et apud Isaiam: *Quæ timebant, adduçam eis: quia vocaui, & non erat qui responderet; locutus sum, & non audierunt, feceruntq́; malum in oculis meis, & quæ nolui elegerunt.* Vbi animaduerte, quod antè monueram, qui non eligit quæ vult Dominus, in ea quæ timebat incidere, iis quæ cupiebat (id enim consequens est) priuari. Atque ita cuidam diuinorum verborum non satis audienti dictum est, *Quia proiecisti sermonem Domini, proiecit te Dominus, ne sis rex super Israel.* Grauiter quoque, licet breuiter, Sophonias: *Væ prouocatrix, & redẽpta ciuitas.* Cur quęso? causam addit:

Cap. 7. — Cap. 66. — 1. Reg. 15. — Cap. 3.

addit: *Non audiuit vocem, & non suscepit disciplinam: in Domino non est confisa, ad Deum suum non appropinquauit*. In tanta breuitate, enumerationem eorum vide, in quæ homines à Deo auersi delabuntur. 1. ad vocem reuocantis quasi surdis auribus prætereunt. 2. blandientis libertatis amoribus illecti, disciplinæ iugum exhorrent. 3. auxilij diuini nulla fiducia nituntur. 4. propiùs ad Deum accedere, ab eo ampliore luce donari, & ad perfectiora perduci reformidant. Quid hos homines nisi væ, nisi dolores, & aduersa multa manent?

Sed hoc ipsum præ ceteris copiosè atque neruosè, ipsa illa toties, tamque contentè clamitans, & ad meliora prouocans Sapientia, exhausta clamoribus, & parum exaudita, iusteque indignata minatur: *Quia vocaui, & renuistis; extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret:* DESPEXISTIS OMNE CONSILIVM MEVM, *& increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis id quod timebatis aduenerit. Cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit, quando venerit super vos tribulatio & angustia. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam: manè consurgent, & non inuenient me: eò quòd exosam habuerint disciplinam, & ti-* Prou. c. 1.

morem Domini non susceperint, nec acquieuerint consilio meo, & detraxerint vniuersæ correptioni meæ. Comedent igitur fructus viæ suæ, suisq; consiliis saturabuntur. Auersio paruulorum interficiet eos; & prosperitas stultorum perdet illos. Qui autem me audierit, absque terrore requiescet, & abundantia perfruetur, timore malorum sublato. Ita loquitur ipsa Dei sapientia.

Non audimur, quia non audimus. Lib. 3. de Prouidentia.

Quorum verborum partem quasi explanasse videtur Ecclesiæ Gallicanæ magnum suo sęculo lumen Saluianus his verbis: *Quid est quòd nos queramur de Deo, cùm queri magis Deus de hominibus possit? Quæ ratio est, vt doleamus non audiri nos à Deo, cùm ipsi Deum non audiamus; & susurremus non respici à Deo terras, cùm ipsi non respiciamus ad cælum; & molestum sit despici à Domino preces nostras, cùm præcepta eius despiciantur à nobis? Fac nos pares Domino nostro, quis iustus querimoniæ locus? hoc pati quemquam quod fecerit? Quid enim dignius, quid iustius? Non audiuimus, non audimur: non respeximus, non respicimur.* Ita ille.

Possent, quæ diximus, videri satis, vt quiuis dilucidè intelligeret, quanti sit periculi Deum nõ audire, non audiẽdo irritare, irritando aduersũ pati. Perspicuitatis causa nõnihil etiam addã. Velimq; Primò perpẽdas, quàm

quàm nemo ſit hominum, qui ſic agi ſecum patienter ferat; nulla vt deſideriorum, conſiliorum, propenſionum ſuarum ratio habeatur; audiatur tantùm quando ad præcepta, interminationes, indignationem, & intentandas pœnas venerit, nihil vmquam amori, voluntati, auctoritati ſuæ deferri ſeu ab amicis, ſeu à ſubditis videat. Faciamus optimi & ſapientiſſimi patris eſſe filium, qui in parentis obſequiis ita ratiocinetur: Hęc ſi obſeruauero, rem præſtitero amantiſſimo parenti meo longè acceptiſſimam; ſi neglexero, id ei diſplicebit: attamen non me proptereà ſcribet exheredem; ergo pro libitu faciam: quid mihi penſi eſt, ſit nécne parenti meo gratum; dum odia non merear, de gratia nihil ero ſollicitus. Qui ſic dixerit, ſic egerit, putáſne, filij in parentem ingenui officio fungitur? an non iuſtas meretur iras? Verus enim amor anguſto limite arctari negat: præcepta faſtidit: voluntarius præuolat: latiſſimè ſe, quà licet, effundit: ſi non fecerit, non verus, at ſimulatus tantùm amor habetur.

Noſtris credi conſilijs volumus.

Amor.

Adſimile alterum iungamus, vt ſit tantò clarius. Adeamus ad Principum & Regum familias: hîc ſi liberaliſsimo, & excelſitate animi ſingulari prædito Regi, ad rerum ingentium ſpem inſeruiat quiſquam; hac autem

Quid clientes in Principem?

tem ratione moueatur, Id si fecero, perplacebo Regi,ad maiora promouebit, suis me consiliis familiariùs admouebit, amoris atque fiduciæ multum animitùs ostendet; si omisero, multum de pristino fauore decedet,ab excelsioribus repellet, à familiaritate excidam, attamen non idcircò meas facultates fisco addicet, non exilio, non morte multabor: quid ergo ad me? faciam quod adlubescit,& non è Regis,sed ex animi mei sententia faciam. Quid hic à Rege mereatur? Exturbari,inquies,& in malam crucem abigi, si tam reperiretur insanus; at nemo reperitur eiusmodi. Crediderim equidèm non esse,qui horum quidquam in animum inducat: quo fit vt tantò execrabilior eorum sit insania,quos cum Deo suo sic agere non pudet. Dicit eis Deus, & fatentur loquentem & sic impellentẽ sentire se Deum, Tu si eiusmodi rem feceris, si talem Statum,talem virtutèm amplexus fueris, si à te istius generis impedimenta, si affectus nimios & non rectos depuleris, id habebo,ac si mihi beneficium contulisses, ex eo protinùs ad maiorem te mei familiaritatem eueham,eam tibi donorum Spiritus, & gratiarum seriem parabo,cuius incitatu atq; præsidiis altiorem perfectionis gradum scandere,tandemque eximias in ęternitate coronas

Quod non in hominẽ, in Deum audemus.

nas adipisci queas. Nihil trepida, consiliorum horum qui sator & auctor fui, ero idem fautor, defensor, præmiator. Hæc Deus. Tu autem qui hæc audis inuitamenta,& aduersaris; ipse te respice, te iudica, mihi equidem superbissimæ,vel stultissimæ tuæ ingratitudini, & à Deo abalienationi exponendæ verba desunt.

Sed qua lege teneor, inquis? non pręcepta, sed consilia sunt, & in arbitratu meo posita. Qua lege teneris interrogas? Ecqua lege filius parentem, consulens cōsiliarium, ęgrotus Medicum, Regem subditus, Christianus Christum, creatura Deum audire teneatur? ah, homule pertinax, si eadem tecū lege Deus egerit, quid te fiet? quàm multa, quàm liberaliter largitus est, & in horas tibi largitur Deus, quorum nihil penitùs dōnaret? Scilicet, ecqua vmquam lege adductus Deus te creasset, te redemisset, te plurimis instruxisset naturæ & gratiæ donis! quàm sine illo egens, quàm nudus, quàm nullus esses! aut si aliquis esses, inferni esses pabulum, terrarum & cæli odium! an non dona omnia, valetudo, ingenium, fortunę, honor, vita, gratia, virtus, in arbitratu Dei sunt posita? *Si peccaueris, quid ei nocebis? & si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? Porrò si iustè egeris, quid donabis* Iob c.35.

Qua lege teneantur?

ei,

ei, aut quid de manu tua accipiet? Homini qui similis tui est nocebit impietas tua; & filium hominis adiuuabit iustitia tua. Longè alio animi sensu loquebatur, qui dixit: *Domine quid est homo, quia innotuisti ei? aut filius hominis, quia reputas eum? Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam: & super sanctos suos, & in eos qui conuertuntur ad cor.*

Psal. 143.

Psal. 107.

Dux & præsidium.

Sed age, cùm adeò tui sis arbitratus tenax, eum tibi ereptum non ibo: id vnum quæram, & verè vt diiudices velim. Quam spem putes de illius hominis salute superesse, qui condensam siluam iammox ingressurus, grauem quemdam, eumq; sibi fidissimum & amicissimum virum offendat, qui sanctè vereq; asserens, Quò tu in eiusmodi siluam præceps ruis? inquiat, Anfractibus adeò plena est, vt non possis ipse te tot mæandris euoluere; locis opportunis dispositæ sunt prædonum insidiæ; denique nemo vnus, nisi fido duce, firmoque præsidio tutus, latronum manus potuit euadere. En tui misereor, me ducem, atque vnà validum præsidium offero. Equidem nemo prudens, non obuiis vlnis, & quasi diuinitus oblatam amplectatur hanc subsidiariam societatem. Si tamen hic præfractè audax, viriumque temera-

merarius oſtentator, repudiato præſidio, ſolus ingredi, ſeque tot periculis obiectare malit, erítne, qui non de eius ſalute deſperet? Atqui huic, vitæ ſuæ tam prodigo viatori tu perſimilis es: eo etiam deterior, quo non breuem corporis, ſed immortalem vitam animi prodigis. Quis inſidiarum, quæ abs infeſtiſſimo hoſte dæmone ſtruuntur, aſtum, multitudinem, grauitatem, perpetuitatem enumeret? quis ætatis, conſortiorum, procliuitatis ad malum, cupiditatum, mundique & carnis, modò lenè blandientes, modò agminatim irruentes, modò aſſultim impetẽtes aggreſsiones euadat? ſic, inquam, euadat, vt ad beatæ perennitatis portum periculorum ſecurus, & aurea immortalitatis corona redimitus, lætantibus Angelis, appellat? Quis eò, niſi duce & vindice Deo perueniat? ſolus eſt, vt ductor, ita beatæ immortalitatis potens largitor: quo ſine, ęternam nemo mortem effugiat; viæ dux, ſubminiſtrator armorum, periculorum auerſor, virium reparator, terror hoſtium, victoriæ conciliator: ſine illo nemo vicit; cum illo nemo victus eſt: & hunc tu, infelicisſime, non audies? tuo males arbitratu perire?

Si vocantem non audieris, aut ne quidem conſulere dignatus fueris: primò quidem ingentes, vt aſſolet, animos extollet ſuſce-

Eius qui non eſt obſecutus, quot anxietates.

susceptæ vitæ nouitas, & desiderij recens ebullientis ardor: at mox, vbi te ipse respexeris, & quibus te laqueis indueris, aduerteris, quantum fluctuationis in consiliis, in rebus gerendis trepidationis, desperationis in aduersis est futurum? tum scilicet & vehementer & frequenter occurret menti tuæ malè contemptus Deus. Quò me vertam? sæpè inquies, & cuius implorabo consilium, auxilium sentiam? éstne scientia, consilium, auxilium aduersus Altissimum? Incertæ sunt prouidentiæ humanæ, habet cuiusuis rei susceptio dubios exitus: eam viam sum ingressus, quam improbauit Deus, regredi non valeo, tutò progredi quis dabit? Si prosperè cadunt, an non pertimescendum, ne concedat iratus, quod negaret placatus, præsensque felicitas, æterna sit infelicitas? Si aduersis vrgeor, ah quàm graue futurum est, sic vrgeri semper? & cuius tantum est animi robur, vt perpetim impugnatus numquam expugnetur, & cōcidat? Quid mihi, qui vitam sector, cui non dedit initium Deus, timendum iustiùs, quàm vt is eam terminus claudat, quem minimè probet Deus? an non sæpè mala præsentia prænuntij sunt futurorum? Quid enim? Ex his vitæ meæ laboribus, tædio, angoribus, putémne aliquid mihi præmij in futurum esse repositum? certè

certè mea ſolius voluntate, eam conditionem elegi, Deum non ſpectaui, nihil eſt quod à Deo expectem. Tota ergo mihi mea vita perierit, nihil erit, quod iuſtus iudex mihi rependat, niſi quod arbori non ferenti fructus bonos, vt excidatur, & in ignem perpetuò vſtulandā mittatur. Erunt hi, erunt longè plures atque grauiores cruciatus animi qui te noctu diuque lancinabunt, niſi viæ vitæque tuæ ducem Deum adhibeas.

Quem ſi adhibueris, procliuia omnia, ſummamque tibi ſecuritatem ſpondeo: cùm enim in eius poteſtate omnia ſint poſita: eiuſque bonitati dolus, ſapientiæ error ſubeſſe non poſsit: certè, ſi quidpiam conſulit, neceſſe eſt, vt cùm non ſuæ, ſed noſtræ vtilitatis cauſa conſulat, ea conferat præſidia, conſilia ſuggerat, exitus adſpiret, quæ nobis denique iucundiſſimè & fauſtiſsimè deſinant. Enimuerò hominum paulò cordatiorum nemo eſt, qui in Conſiliarium electus, id ſuaſurus ſit quod ſcit eſſe incertius, & periculorum plenius, quodque cùm perſuaſerit, ſua etiam reddet impugnatione ad perniciem pronius: hominis id eſſet omni fide deſtituti: quin potiùs conſiliis quiſque fauet ſuis, meritoque credit, felices eorum euentus ad ſuum etiam cōſilium dantis honorem pertinere. Inuidiam, perfidiam,

Eius qui Deo eſt obſecutus quanta ſecuritas.

diam, crudelitatem affingis Deo, si eum censes, consilio & incitatu suo in eam nos partem impellere, quæ nobis asperior, infructuosior, perniciosior est futura; quàm suis nudatam auxiliis, impugnationibus patere, extremaque demum ruina inuolui sinet. Quantò decentiùs & veriùs de illo sentis, si firmissimè credis, quidquid in nobis est imbecillitatis, quidquid vndecumque, vel insidiarum, vel molestiarum, vel tentationum obuenturum est, id ei esse notissimum, habere præsidia firmissima, & plurima, quibus nos securos & intaminatos ad extremum vsque conseruet, insidias detegat, pericula dispellat, aduersantia retundat, nostros in virtute, animique tranquillitate progressus foueat, gloriæ denique prouentu, certaque in æternum salute donatos coronet? Amico, potente, sapiente duce, & comite viæ, iter ingressi, impauidè pergimus, nec putamus de peruentione dubitandum, vbi nostræ progressionis peritum, certumq; nacti sumus auctorē: atqui amicior, sapientior, potētior Deo quis fingi vmquam potest? Quātis ergo animis, quàm læta cordis alacritate, quàm secura victoriæ præsensione decet id vitę stadiū decurrere, ne, dum ingredi, quod ipse aperire, quò nos inducere velle, affulgente S. Spiritus lumine, videtur?

Finem

Finem horum facio, vnum si commendauero, quod à memoria & persuasione numquam recedat velim; tanti scilicet diuinos instinctus esse faciendos, vt hinc vel æterni dispendij, vel gloriæ & salutis ęternæ sors consequatur: non aliunde in cruciatus æternandos pręcipitati homines inuoluantur, quàm quòd à flagitiis deterrentē Deum contemptim audientes, illicientis dęmonis, & blandientium cupiditatum vocibus obsecundare maluerunt: nec aliunde perennis beatitatis secura iucunditate perfruantur Sancti, quàm quòd Sirenum pęllaci cantui obsurdescentes, ad meliora vocanti Deo obsequi prætulerunt. Nec tantùm, sed eorum quoque præ ceteris eximius erit sanctimoniæ gradus, qui intentiore auditu, etiam ad tenuissimos diuinæ sapientiæ susurros sitibundas aures applicabunt, ac tam sedulò excipient, vt è verbis, quæ loquitur illis Dominus, non iôta, nō apicem vnum elabi sinant, quin rebus ipsis expleant. O quantum virtutum, quantum perfectionis accederet, si vel hoc vnum præstaremus, vt nos à Deo expoliri, erudiri, liberè quaquauersum impelli sineremus! Sed aliorum hæc sunt: interim hæc habeto, vix aliud posse te argumentum æternæ prædestinationis ac salutis certius habere, quàm si inspiratio- *Instinctus diuinus quanti faciendus.*

Prædesti-nationis argumentum. num diuinarum ſedulus fueris auditor, accuratus obſeruator, ſerius æſtimator: contrà verò, vix aliud infelicitatis ęternæ prięiudicium certius, quàm ſi diuinarum motionum refractarius admiſſor, ſurdus auditor, & præ tuis deſideriis auerſor fueris: quia Deo contraria ſequeris, iuſtum eſt vt contraria conſequaris. Sed hæc, quæ diximus, paucis & ſapientiſſimis verbis ſumma Sapientia complectitur: *Qui eſt ex Deo, verba* Ioan. c. 8. *Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* En igitur; audis, quia ex Deo es; & quia ex Deo es, ęternùm viuis: non audis quia ex Deo non es; & quia ex Deo non es, peris in æternum.

CAPVT XIII.

Quæ ſit neglectarum Dei inſpirationum pœna.

Pœna, ob qua. NON tantùm admiſſarum noxiarum, ſed temeritatis, imprudentiæ, neglecti conſilij pœnas luere dicimur, quoties hinc accidit, vt in aliquem moleſtum caſum incidamus, aut magnarum rerum detrimenta patiamur. Quod eò dixerim, ne quis putet, neglectarum, quæ tantùm conſilia ſint, inſpirationum nullas eſſe pœnas luendas: ſunt, & quidem tantò grauiores, quò vel proter-

proteruior contemptus, vel inſpiratio nobilior fuerit. Quod vtrumque paucis expono.

Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur, ait Sapiens: vigilat enim diuinæ prouidentiæ acutùm cernens & iuſtiſſimus oculus, vt, ſiue citiùs ſiue ſeriùs, nemini vnquam ſua fraus patrocinetur, voluptas inamareſcat, & admiranda iuſtitiæ ſapientia, ipſum ſibi fiat pœna peccatum: imò etiam eodem in genere, eademque, qua quis peccauit grauitate, puniatur. Hæc eadem, in ſocordia, animique remiſſione punienda, ſeruari ſolet æquitas: impareſque defectus pœna impari affici conuenit. *Punit omnia Deus.*

Atqui in omittendis quæ diuinitùs inſpirantur, diuerſi admodum ſunt gradus: eſt qui vix aduertat, & præterit; eſt qui parui momenti quiddam ducat, nec attentiùs aduigilat: eſt qui ſemel, eſt qui ſæpiùs negligens eſt obſeruator; eſt, qui propè perpetuus eſt deſpretor, qui etiam exaduerſum nititur, tentat opprimere, & contraria ſectatur. Hæc autem accidunt fermè, vel humanæ imbecillitatis infirmitate, vel vecordis animi incuria, vel guſtationis rerum ſanctiorum inopia, vel inaſſuetæ ſanctimoniæ horrore, vel improba dominantium vitiorum tyrannide repugnante, & cupiditatibus aliorſum ad deteriora flectentibus. *Varius omittendi modus.*

Grauitas & pœna, dispares. Quorum omnium cùm sit admodum dispar grauitas, damna quoque seu pœnas admodum dispares esse consentaneum est. Et quidem cùm summè bonus atque clemens sit Deus, homines verò mirè procliues in malum; & supra hominem sit, vbique contentissimè ita vigilare, ita omnia mente dispicere, nusquam vt ab eo, quod perfectius est, aberretur: eum qui rarò, qui ex infirmitate & ignorantia, ex minùs attenta cogitatione, quampiam S. Spiritus inspirationem otiosè præteriit, non aliud damnum incursurum credo, quàm hoc ipsum, quod ex omissa sanctitudinis actione cõsequitur: nec enim id egit, quod maiore animi profectu perfecisse potuisset; non tamen idcircò liberalitati suæ modum angustiorem ponet Deus erratorum dissimulator patiens. Sin autem ex incuria sui leuiore, minore rerum sanctiorum gustu, veniabili, nec adeò ardente rei cuiuspiam amore, sanctior quæpiam inspiratio respuitur; iam hoc, grauius aliquantum esse incipit, suamque in eodem genere pœnam atque damnum sentiet: at non ægrè reparabile, dummodò in eam negligentiæ consuetudinem non eatur, sed potiùs inde doloris & verecundiæ calcar cessatorem animum acriùs vrgeat.

Si ex infirmitate.

Si incuria.

Pœna meliorum. Et quidem, hanc vtramque inspirationum

num neglectarum noxiam, punire in viris pietati addictis solet Deus, negata eis deliciarum spiritualium copia, vel parciùs data, vt qui Deo præcurrenti sese adiungere tardarunt, latitanti, amiceque refugienti occurrere, multoque labore obuiàm ire, multis cum desideriis euocare cogantur. Est autem longè optima huic malo medela, vt verecundè admodum atque demissè agnoscamus, vbi nam nostro officio defuerimus, & id ipsum egregio virtutis cuiuspiam facinore compensare studeamus, firmeque statuamus, maiore nos in posterum accuratione obseruaturos quid in nobis loquatur Deus, omnemque nauaturos operam, vt ne minima quidem voluntatis ipsius indicia inobseruata præterlabi sinamus. *Medela.*

Quod ipsum multò magis fieri conuenit, si incuria grauior, si virtutis & sanctimoniæ insipidæ horror ab inspirationum auditione dimouit; iam enim hæc obdurescentis, & nimioperè ingrati animi signa præbent, quibus nî confestim obsistas, ad exitialem rerum sanctarum salutisque neglectum quàm mox lapsu præcepti corrues. *Si neglectus.*

Denique miserrimos, æternæque, nisi illicò resipiscant, damnationi proximos esse pronuntio, qui vel negligendis diuinis alloquiis assuescunt, vel in contraria, quàm quò *Si auersio.*

flectat Deus, ſcientes volenteſque rapiuntur: cùm enim ipſi ſe tantopere à Deo auertant, vt inſtinctus eius atque permotiones, quaſi exoſas habeant, à ſe repellant, alia omnia ſectentur; nil eſt reliquum, quàm vt, Deo ingratos deſerente, non Dei in poſterum, ſed cupiditatum, ſed dæmonum inſtinctibus abrepti, per omne vitiorum dedecus ad inſanæ voluntatis arbitrium, appetitu præcipitante, rapiantur.

Inſpirationes ad varia. Sed hæc de inſpirationum contemptione dicta ſint: reſtat alterum, vt etiam ipſarummet, cuiuſmodi ſint, dignitatem, ſeu *Ad vnum.* mauis, genus & finem expendamus. Quædam enim ſunt, quæ ſolitariam quamdam, hoc eſt ad vnam tantùm actionem vim obtinent, vt cùm ieiunandi, ſacris operandi, patienter aliquid perferendi, cupiditati obſiſtendi, ſenſum refrænandi, immitti deſideria ſentimus: quæ ſunt eiuſmodi, vt vel ad rem hanc agendam, vel ad ceſſandum ab aliqua impellant. His ſi non obſecundas, non aliud (ſepoſito, quod antè dixi, contemptu & conſuetudine) damni eſt, quàm quòd ſanctarum actionum iacturam facis, ſenſimque, niſi caueas, ad deteriora delaberis, quod equidem minimè leue eſt.

Ad neceſſaria, vel eximia. Aliæ ſunt, quę ſpectant latiùs, & ad ea pertinent, quæ vel ad ſalutem neceſſaria ſunt, vel

vel ad ſingularem ſanctimoniæ gradum perducere videntur: quarum neglectus & obſeruatio longè maioris eſt momenti. Eius generis ſunt quibus excitamur, & ſæpiùs, & acriùs, vt rerum earum amorem, occaſiones atque conſortia præcidamus, quibus ad peccata grauiora pertracti à cura ſalutis abducimur. Hos autem melioris animi motus ſi neglectim à nobis excutimus, iiſdem perpetuò peccati ſordibus obuoluti adhæreſcimus: at ſi, quà ducunt, ſequimur, inſidioſæ mortis laqueis erepti certæ ſaluti redonabimur. Sunt autem, quæ ad ſingularem ſanctimoniæ gradum promouent, quoties homini immunem à peccati labe grauiore vitam ducenti, ardentiores ad perfectiora nonnulla (pro vitę, quam degit conditione) faces admouet Deus: quibus ſi per virtutis exercitationem fomenta miniſtrantur, & vires & incrementa ſumunt, ſenſimque ad ſplendidiſſimum ſanctimoniæ fulgorē euehunt. At ſi harumce motionum vilis æſtimator, tepiduſque obſeruator ad perfectiora nec aſſurgit, nec propterea tepor inolitus inflammatur; tantæ illius, quæ offerebatur, ſanctimoniæ & glorię iacturam faciet, ſemperq; in eadem infima viliorum hominum claſſe cenſebitur.

Poſtremum, & ad inſtitutum noſtrum

Ad stationem certam.

maximè faciens inſpirationum genus id eſt, quod vocationis nomine intelligimus: quãdo ſcilicet ad aliquod perfectioris vitæ, nobiſve conuenientioris genus, ſupremus omnium Imperator Deus, quaſi ad certam, aptam, nobiſque deſtinatam ſtationem vocat: cuius nutibus obtemperare ſi recuſamus, periculis tantò præſentioribus inuoluimur, damnaque tãtò grauiora incurrimus, quò magis eximius diuinæ gratiæ fauor adſpirarat. Cùm enim vocaret Deus ad aliquod vitæ genus, vt iſtic auctore & conſultore ipſo viueremus; eâdem illa vocatione ſimul offerebat ingentem gratiarum cumulum, donorumque theſaurum, quibus & ſalutem noſtram circumuallaret, & æternæ gloriæ ingentes auctus fecundiſſimè propagaret, multaque cumulatos lætitia, & malis ereptos tandem ad æterna traduceret. Quæ recuſas omnia, quando vocationem ſequi recuſas, aliam verò ſtationem ſeligis: in qua cùm ab Imperatore Deo non fueris collocatus, quid auxilij vel fauoris ab eo ſperes, quamdiu in ea inuito duce depugnabis? eo maximè, quòd æquiſſimum ſit, vt gratiæ ingratus, non gratiæ, ſed indignationi, ſed iudiciis, ſed ſeueritati & pœnæ reſerueris. *Dilexit maledictionem, & veniet ei: noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.*

Quid

Quid prolixiore sermone est opus? res est planissima, quam perpetuò memoriæ tuæ, ô quicumque sapis adolescens, fidelissimè commendes oportet, teque totum ardentissimis atque integerrimis animi votis, Deo tuo ad omnem sanctissimæ eius voluntatis nutum offeras, quocumque, & quacumque paratum sequi: id etiam demississimè & enixissimè deprecans, ne te vmquam alicubi restitantem deserat, sed nolentem flectat, obduratum emolliat, tardantem instiget: ita esse, ita velle te, vt non tua, sed eius voluntas sancta statuatur; non tuum, sed eius propositum sanctum stabiliatur. Quid mihi melius Domine, quàm si mihi meísque propensionibus obsurduero, tuos sanctos instinctus, diuinas voces audiuero; si me reliquero, mihi deficiam, vt te inueniam, tibi reficiar? Pereat in me quidquid meum est, vt regnet in me quidquid tuum est. Egóne vt patiar vmquam, me mihi, carni, mundo, dæmoni, quàm Deo meo obsequentiorem esse? Non patiar in æternum. Loquere Domine, audit seruus tuus: audit, & sequetur, vt adspiras, ita vires dabis. *Quid hic à Deo postulãdum.*

CAPVT XIV.

De indifferentia.

Cùm tanti sit inspiratio diuina,

QVANDOQVIDEM diuina quasi manuductione, quæ per sanctas inspirationes fit, quod sit nobis institutum vitæ ad salutem animi aptius agnoscendum est, & in illis ad æternæ quoque gloriæ summam, tantum esse momenti docuimus: omni cura nobis est prouidendum, non tantùm vt inspiratas gratissimis animis admittamus, sed vt, quantum in nobis fuerit, diuinam ad eas immittendas liberalitatem excitemus.

Admittamus, Incitemus,

Aduersantia repellamus,

Quapropter & id omne remouendum, quod nos Deo reddit exosos: nec enim sapientiæ spiritus in maleuolam animam introibit; & magna mentis humilitate, delapsuræ gratiæ fluentis cor excauandum est. Omnis enim vallis implebitur, & omnis collis humiliabitur: & ardentioribus votis diuinæ sapientiæ lux est euocanda. *Facilè enim videtur ab his, qui diligunt eam; & inuenitur ab his, qui quærunt illam: præoccupat, qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat. Mitte illam,* Domine, *de cælis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret, vt sciam, quid acceptum sit apud te. Quis enim hominum poterit scire consilium*

Aduocemus.

lium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? Difficilè æstimamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt, inuenimus cum labore. Quæ autem in cælis sunt, quis inuestigabit? Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum sanctũ tuum de altissimis? scit enim illa omnia & intelligit, & deducet me in operibus meis sobriè, & custodiet me in sua potentia, & erunt accepta opera mea, & disponam vitam meam *iustè, & ero dignus sedium* gloriæ tuæ.

Sed hæc eiusmodi sunt, vt ad me propriè non spectent, pleni sunt istarum pręceptionum libri plurimi: vnum autem hîc est proprium, & diuinis instinctibus acerrimè obstans, nempe si in certam deliberationis partem sit anteoccupatus assensus, aut si adeò rei cuiuspiam amori adhæreatur, vt neque inde dimoueri patiamur, & eam, quà nos Deus duceret, partem velle nequeamus. Equidem plerique omnes vel præiudicatis opinionibus, vel inueteratis, ac fermè aut contagione consortij, aut sensuum illecebra haustis affectibus laboramus, adeoque sensim, & intimè, innocua omnisque doli secura mens ijs occupata fuit, vt iam vel captam se prorsus ignoret, vel virtutis atque veritatis imagine, vitium & falsitatem resq; vanissimas amplectatur. Rarus est, qui verè

Præiudicijs & præsumptis affectibus laboratur.

rè Deo dicere vndequaque possit, Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum: non diuitiarum, non voluptatum, non commodorum, honoris, gloriæ, famæ, vitæ, non alicuius rei, non præcerptæ opinionis, non præiudicatæ virtutis, non mihi efficta perfectionis tenet amor, quin quacumque volueris, confestim expeditus sequar. Quid enim mihi est in cælo, aut à te quid volui super terram? tu es, Domine, spes mea, tu exspectatio mea.

Quàm id sit arduum, præclarissimè rebus ipsis nos docuit sapientissimus Magister IESVS CHRISTVS, ad quem audiendum cùm vndique magni concursus fierent, venit & quidam sanctè à pueris educatus, qui animum vitiis purum seruarat, virtutem diligenter excoluerat, ac præ ceteris vno perfectioris vitæ desiderio ardentissimè flagrare videbatur: hic, frequentissima populi corona spectante, in medium concitè procurrit, vtque humilitatis atque desiderij magnitudinem testaretur, contenta voce, genu flexo, *Magister bone*, inquit, *quid faciam, vt vitam æternam possideam?* Ecce quàm ad omnia paratus est? quid faciam? ait: paratum se, & auditorem cupidissimum exhibens, quasi Magistri verba mox ipsis rebus expleturum: non eum alia, quàm vitæ æter-

Dominus exemplo probauit.

Adolescentis postulatum.

æternæ pulſat ambitio, præ hac cetera omnia nihili ducturus videtur: nec ei ſatis fuerit, ſi ad æternam vitam vtilis quæpiam via commonſtretur; tanti eam facit, adeoque illius cupit eſſe ſecurus, vt poſtulet ſe id edoceri, quo eam poſſideat, quo ſibi eam quaſi certo iure ſpondere atque vendicare poſſit.

Egregium ſanè poſtulatum, omniq́ue adhuc imitatione dignum, dignumq́ue quod minimè patiatur repulſam. Quid ergo optimus ille Magiſter? *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Nempe hic eſt primus & neceſſarius ad ſalutem gradus, hoc vitæ æternæ fundamentum ab omnibus ante cetera ponendum. Quid ad hæc adoleſcens? quod ſanè mireris: ***Omnia***, inquit, ***cuſtodiui à iuuentute mea, quid adhuc mihi deeſt?*** Beatus es, ô quiſquis es, cui tantam donauit gratiā Deus, vt à pueris mandata ſeruares omnia; non fraudem faceres, non patri aut matri minùs obediēs eſſes, proximum tuum vt te ipſum diligeres, numquam animi puritatem illicitis deſiderijs inquinares: & quaſi parua hæc ſint, æmularis chariſmata potiora, quæris inſtanter, *Quid adhuc mihi deeſt?* Vidit Dominus, intuitus eſt blandiùs, ſuæq́ue erga tantam probitatem dilectionis palàm ſigna dedit. Quid ergo ſecutum?

Reſpōſum. Matth. cap. 19.

Integritas.

Attendite hîc adoleſcentes, voſq; maxi-

mè,

Cui, quid deest. mè, quibus diuinitùs tantum felicitatis obtigit, vt à teneris annis, præceptis pietatis imbuti, nullis grauioribus noxiis animi candorem fuscaueritis. Attendite, num quod illi, idem & vobis deesse dicturus sit Dominus: & sollicitiùs efficite, vt pręclarè ductum initium, felicior & præstantior exitus comprobet. Quid ergo sapiens Magister? *Vnum tibi deest: Si vis perfectus esse, vade, quæcumque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni, & sequere me.* Quid fuit, audire verba tam sancta, & à Domino, tanta vi spiritus, tanta amoris beneuolentia profecta? quis illi, cælestem pro terreno thesaurum promittenti addubitasset? quis vt veniret, & sequeretur inuitanti, diuina consortia respuisset? Si hæc mihi loqueretur, inquis, quàm raptim sequerer? Sapienter sanè faceres: an tamen faceres, mihi nòn admodum constat. Vahi sępè promissores, cùm in rem ventum fuerit, effluimus.

Verè deest obsequentia. Quis non longè obsequentiora ab hoc nostro vsque adeò puro & feruido adolescente prouentura sperasset? at ecce, *Cùm audijsset adolescens verbum, abijt tristis: erat enim habens multas possessiones. Et circumspiciens* IESVS *ait discipulis suis: Quàm difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt!*

troibunt! Noli tuis de te iudicijs nimiùm credere, latent affectus, qui nisi diligentiùs excussi, non sentiuntur; vix est qui sic mentem depurare posit, quin vitiosi & non satis excocti cuiuspiam humoris aliquid resídat, ac humanam obseruationem fugiat. Hinc improuisi lapsus, hinc in sedatissimis viris necopinæ perturbationum procellæ, nempe quando fors tulerit, vt reconditum vlcus vngue penetrante proritetur.

Sed ad nostrum adolescentem: animaduertisti, quàm citò corruit? quàm arma & clypeum abiecit? tristis, verecundus, in medíam se turbam retulit? Perfectionem volebas, possessionem æternæ vitæ ambiebas, quid deesset rogabas, adolescens: en verissimè profertur, quod tantopere auebas, offertur. quid contraheris, cur refugis? veracissimus est assertor, promissionum potentissimus est dator, non fallet, non deerit, noli metuere. Vitam æternam possidere vis? non illam tantùm, sed in ea thesauros quoque ingentes, eximias regni coronas iure stabili possidendas dabit. Quid ergo, mea illa ampla supellectile, inquit, quid magnificis ædibus, quid tot villis & agris, quid tot commodis & speratis honoribus fiet? erunt illa, ex quibus totus pendeo, à me abdicanda, dissipanda? in alios scilicet eroganda? algebo

Subducit se adolescens.

Quàm turpiter.

a lgebo mendiculus, dum alij meis sumptibus genio indulgebunt? Sed numquid æternæ, non huius vitæ, cupidus expetitor videbaris? non scitabaris, tibi quid deesset? hoc deerat, quòd nimium diuitiarum amorem non precideres: precide, nihil deerit: hoc à te Magister sanctus exposcit: eximiam hanc tot alijs virtutibus addito coronam: caue, ne multa bona, vnius boni neglectu degener perdas. Sed surdo cano; abiit, ad suas se turbas, mente deturbatus, recepit.

Quid nos hinc? Tu verò, qui hæc legis, adolescens, caue sedulò, ne simili quopiã minùs recto (quem tibi vestigandum relinquo) affectu sub iugum actus, Dei vocibus obsurdescas. Et quoniam etiam inscientibus prauus aliquis amor inserpit, viresq; sumit à tempore, obuiàm eas, tibique ne præsidas, admodum suadeo: Teipsum frequenter, & ex animo, Deo offeras, Angelum sanctum Custodem, purissimam Virginem Dei matrem, precibus fatiges, vt ne vmquam tuo in animo residere patiantur, vllius rei siue sensui gratæ, siue sanguine coniunctæ, siue cupiditatibus blandientis, siue honoribus allectantis, siue etiam sanctitatis aut virtutis pallio intectæ, amorem vllum, vel minimum, qui sanctæ Dei voluntati aduersetur. Frequenter & firmè statue, nihil tibi tam inueteratum, tam

tam probatum, concupitum, exquisitum vmquam fore,quin id omne protinus, Deo volente, longè longiùs à te sis abiecturus; omniq́ue alacritate quod gratius illi fore credideris,id sis amplexurus.

Interim verò,deliberaturus, & quid exposcat Deus, nondum agnoscens, planè sit indifferens necesse est. Est autem indifferentia, quoddam ęquilibrium animi nusquam propendentis,nullumq́ue suopte nutu in partem vllam pondus apponentis: accuratè rationes, & motus aliquò impellẽtes excutit,qua origine ducantur, quem respectent finem, quantum insit efficaciæ diiudicat,non temerè,nō pręcipitantiùs,aut cupidiùs vsquā fertur: nihil auersatur,nihil concupiscit,neq; tam compescit affectus,quàm affectibus,&in rem indeliberatā propensionibus caret. Id verò non ignauescentis animi languore, sed rebus omnibus exstantis, & à sola ratione,soloq́ue Deo pendentis excelsitate dimanat. Quo fit vt qui tantoperè indifferens,nusquam propendet, immotusq́ue otiosi in speciem perseuerat; is, vbi rectæ rationis, diuinæq́ue voluntatis clarior radius illuxerit,protinus mira celeritate, inuicta fortitudine, pertinace constantia, aduersa omnia eluctetur, pergat intrepidus, neque vel labore fatigetur,vel tempore lan-

Indifferentia quid sit.

Quanti proueniat.

guescat, vel arduitate frangatur, & nullum non lapidem perseuerantissimè moueat, vt eò quò vocat Deus aliquando pertingere, quod suadet perficere possit. Hæc illi vt summa votorum, ita laborum & conatuum vnus est finis.

Quid ad eam exposcatur. Vt ad huius indifferentiæ, in qua summa est animi pax, verticem conscendas, necesse est vt rerum quarumcumque te affectu exuas, amore denudes. Sed quoniam abs eo qui vixdum virtutes à limine salutauit, id exigere nimium est; duo tantùm à te deposcam in quibus indifferentem te præstes: quod ni feceris, non est quòd ad genus vitæ constituendum deliberaturus accedas; neque rectæ rationis, neque Dei lumen illucescet.

Hic duo necessaria. 1. Non affici ad Statum vllum. Primum est, vt nullum vitæ genus auerseris, quod tibi quadrare possit & licitum sit; nullum etiam ceteris præferas, & tibi præoptes. Cùm enim de vitæ genere Deum consulis, necdum tibi constat, quodnam illud ad salutem animi aptius, quod sit futurum ineptum: cumq; nescias quod illorum tibi bonum & commodum, quod malum & incommodum sit, possitque quoduis eorum vel bonum & commodum, vel malum esse & incommodum: perspicuè hinc efficitur, te nullum eorum vitæ generum, vel præ-

præoptare, vel auerſari poſſe prudenter; quandoquidem ea, quæ necdum nobis nota profitemur, iudicare velle, ſummæ ſit imprudentiæ.

Quid opiniones præcepta.

Atque hinc efficitur, eas, quæ vel à parentibus, vel à blandiore, aut ſeueriore conuictu, à vulgi ſermonibus, ab inductione ſodalium, & huiuſmodi cauſis, ductę ſunt de vitæ aliquo genere opiniones, atque interim amores, aut refugi timores, euelli, aut ſaltem de animo deponi oportere, donec certiore & ſanctiore quopiam inſtinctu id ipſum affirmetur. Et quidem quando in meliorem ſortem ferebant, vt ſi ad ſanctius vitę inſtitutum; non dico, vt quaſi malas propenſiones amoueas: tam ſeuera nota nihil eſt opus; ſed in pręſens amoue, iube ſecedere, iube rationi conſilium inituræ locum & otium dari, ita moderare, vt quæ contra id vitæ genus faciunt, quę pro alio diuerſo verè excogitari poſſunt, ſincera mente pertractes, vtrimque & ad alia ſumenda, & ad eadem confirmanda prompto animo. Sic fiet vt rectiſſima, & nuſquam ab eo quod certiſſimum erat aberrante deliberatione vſus, magna ſemper in reliquum vitę tempus pace perfruaris, cùm nihil penitùs erit, quod ſuſcepti vitæ inſtituti conſilia vitiare potuiſſe videbitur, ideoque nihil pœniten-

 dum,

dum, nihil retractandum occurret.

Amor & odium moderata sint.

Alterum quod à te postulo est, vt nullius rei tanto vel amore, vel odio ducaris, quin eam vel admittere, vel abijcere atque contemnere sis paratus, quandocumque videris cum eius vitę, quàm suadebit Deus, rationibus ita quadrare. Erit qui ad conciones, qui ad scientiam, qui ad afflictationẽ corporis ardenter feratur: hic freno est opus: exspectandum donec illuxerit Deus. *Vanum est ante lucem surgere*; cassum est, vineæ domino non consulto, suam sibi partem fodiendam sumere. Mercedémne hinc reposcas? indignationem potiùs mereris, in alieno ius temerè vsurpans.

Affectus in sancta, prodest; in alia, nocet indifferentia.

Verùm, ne fallaris, obseruato de honorum, diuitiarum, voluptatum desideriis, atq; de zelo, ardore ad conciones, ad austeriora propensione, non idem esse iudicium: etsi enim in his nullus ardor nimius sit probandus, quando maximè tenebras luci deliberationis offundit; attamen ista commodorum & honorum desideria indifferentiæ repugnant semper; virtutum verò castitatis, zeli, & humilitatis affectus, si nimiùm immodica non sunt, indifferentiam nihil lædunt, iuuant magis. Cuius hęc est ratio,

Ratio.

quod cùm natura nostra summè sit deliciaria, suorumque commodorum retinens, ac

inge-

ingeniosissima venatrix, facillimè & frequétissimè, peritioribus quibusque, nedum tironibus imponit, indifferentiam mentitur, affectum rerum suarum dissimulat, obtentuq; vel necessitatis, vel opportunitatis, vel in speciem probabilis rationis obuelat, vix vt eam iusta mediocritate contentam possis credere, nisi videas iam aliquantum in contraria deflecti, adeò vt eorum (à quibus tantopere abhorrere solet) incommodorum appetentia, iam eius insolentiam subactam, & in rationis gyrum reductam esse testetur.

Præterea cùm ad imaginem Dei ita creati simus, vt diuinæ sapientiæ splendor tum demum menti nostræ illucescat, cùm despretis infimis, & expurgato affectu, quasi deterso speculo, diuinis radiis obuiàm se dederit: eò spectat indifferentia, vt viliorum amorum sordes omnes eluat, & procreatarum rerum affectu mundam animam, increati Solis lumine complendum exornet. Ita enim est, vt quisquis prauum affectum exuerit, continuò ei occurrat Deus, eumque multiplicis gratiæ, cognitionis, & S. Spiritus complexu foueat, & quantum à se quisque rebusque procreatis recesserit, tantum ad Deum & ad rerum æternarum recondita mysteria accedat.

 Quare

Quare si ad meram indifferentiam, etiam nonnulla animi à rebus sensui blandioribus abalienatio, si quæpiam maioris perfectionis ac maximè castitatis auiditas accesserit, hoc indifferentiæ non repugnat, iuuat potiùs, & roborat, haud secùs quàm expurgationem speculi non tollit, sed perficit expolitio. Verùm de his satis.

Aurea D. Bern. sententia. Serm. 26. vel 27. de diu.

Concludam egregio D. Bernardi loco, & verbis eius. *Quòd certum est Deum velle*, inquit, *id nos velimus omnino: & quod certum est Deum nolle, similiter execremur & nos. Quod autem incertum est vtrùm velit aut nolit, neque velimus ex toto, neque penitùs nolimus. Hic certè in hoc medio totum periculum est, dum infeliciter blandimur nobis, & palpantes seducimus nosmetipsos: hinc accidit, vt simulemus Domini quærere voluntatem, dum nostram facere, & aliquā de ignorantia habere volumus excusationem.* Et mox: *Propterea rogo vos, fratres, diligenter attendite, quia nihil mihi occurrit, quod vtiliùs possitis audire. Vbi certa est Dei voluntas, omnino nostra sequatur: in his videlicet, de quibus certum aliquid in Scripturis inuenimus, aut ipse Spiritus manifestè clamat in cordibus nostris quid sentiendum sit, vt est charitas, humilitas, castitas, obedientia: hæc approbemus indubitanter, & appetamus, quæ placere*

re

re Deo ſcimus indubitanter. Sed & ea omnimodis odiſſe debemus, de quibus certum eſt quòd oderit ea Deus: vt eſt apoſtaſia, fornicatio, iniquitas, impatientia. In his verò rebus, de quibus nihil certi poſſumus inuenire, nihil certum voluntas noſtra definiat, pendeat inter vtrumque, aut ſaltem neutri parti nimis inhæreat, cogitans ſemper ne fortè altera pars Deo magis placeat, & parati ſimus voluntatem eius ſequi, in quamcumque partem eam cognouerimus inclinari. Nemo ſuper his quæ certa ſunt hæſitet, nemo dubia pro certis admittat, nemo ſibi in dubijs iudicium vendicet, præcipitétve ſententiam; & experiemur quod ſcriptum eſt: Pax multa diligentibus legem tuam Domine, & non eſt illis ſcandalum. Pſal. 118.
Iſta diuus Bernardus.

CAPVT XV.

De cogitationum origine.

De cogitationum origine, & variis quibus internoſcantur indiciis, latiùs in ſcriptione Gallica dixi, hîc pauca, eique, quod initio ſuſcepi, deliberationis generi neceſſaria recenſebo. Ac primò, quod ad Originem;

Cogitationum aliquæ ab ipſomet cogitante, aliæ foris oriuntur, & quidem hæ ſo- *Cogitatio intus aut foris.*

læ, si propriè loqui velis, inspirationes dicuntur: non enim ipse sibi homo, sed alius ipsi inspirat; estque inspiratio, quæ extrinsecùs adueniens, intus in animum sese penetrat spiratio.

Foris, à Deo, vel dæmone.

Iam cogitationum foris venientium duę sunt origines: vna longè optima, boniq́ue fons perennis Deus optimus maximus: altera venenata, vitiorumq́ue fœda scaturigo, humani generis hostis dæmon.

In his duabus nihil est cunctandum. Quidquid à Deo est, bonum est, omni pręsisione, susceptione, fide dignum est, audire, credere, obsequi, consultissimum est. Quidquid à dæmone est, aut omnino pessimum est, aut insidiosum & fallax, quodq́ue meritò à te repellas, & cautiùs deuites, totisq́ue viribus euertere coneris, quasi tuæ saluti diuinæq́ue gloriæ prorsus aduersans.

Quem in sensum non minùs fortiter quàm facundè Chrysostomus extrema Orat. 2. de Prouidentia: Ἀπὸ τῶν συμβουλευόντων μάθετε τὸ σωτήριον καὶ τὸ βλαβερὸν, &c. *Ab ijs qui consilium dant discite quid salutare, quid noxium: Quî enim non sit absurdum, in alijs quidem rebus hoc esse iudicio, vt si medicus cibum cuipiam dederit, non vltrà inquirat, sed vt sanitatis conciliatorem sumat; sin autem veneficus & impostor, sine cunctatione*

ctatione quasi perniciosum ac noxium auersetur: erga Deum autem hac ratiocinatione non vti? Et quidem cùm longè maiore interuallo distet à dæmone Deus, quàm à venefica medicus, tantumq́ sit id interuallum, vt neque verbis neque mente & ratione satis exponi queat; quomodo non summè absonum est, vbi exigua est cibum prabentium differentia, non cunctari, sed solo personarum discrimine decernere; vbi verò consiliariorum tantum est discrimen, ibi rationibus opus habere, vt intelligas, hoc quidem esse salutare, id verò noxium? Hactenus ille de duobus illis cogitationum generibus.

At cùm ab ipso homine cogitationes ortum ducunt, sunt illæ, aut vanæ & inutiles; *Dominus enim scit cogitationes hominis, quoniam vanæ sunt:* aut sunt omnino malæ atque vitiosæ. Quamquam crediderim raras esse, quæ merè & abs homine solo sint: ab altero vel Dei vel dæmonis spiritu proueniunt, sed à quonam, non semper apertè constat, nec prima sui fronte inscriptam originis notam præferunt; erunt aliquæ deinceps adscribendæ. *Humanæ.* Psal. 93.

Priùs tamen audiamus, quid à D. Bernardo super his diuino spiritu sit traditum. Videri, inquit, potest minùs eruditis, & qui parum exercitatos habent sensus, omnem cogita- *D. Bern. doctrina.* Vide Homil. 7. & 57. in Cant.

 gita-

gitationem non alterius quàm ipsius humani spiritus esse sermonem: quod non ita esse,& certa fidei veritas probat, & diuinarum testimonia Scripturarum. Loquitur in nobis Dominus,loquitur & Angelus: & in Psalmo didicimus, fieri immissiones etiam per angelos malos. Est prætereà spiritus carnis, est & spiritus huius mundi. Sed hi duo sunt quasi satellites maligni illius principis tenebrarum, dominaturq́; spiritus nequitiæ spiritui carnis, & spiritui huius mundi. Quisquis ergo ex his tribus spiritibus spiritui nostro loquatur, ne credamus ei; quoniam sanguinem sitiunt, non quidem corporum, sed, quod grauius est, animarú.

Deus. Angelus. Psal. 77. Spiritus carnis, & mundi.

Sed quoniam spiritualis omnium natura est,à sermonibus eorum cognoscemus eos: & quis spiritus sit,qui loquatur, ipsa suggestio declarabit. Semper enim spiritus carnis mollia,spiritus mundi vana, spiritus malitiæ semper amara loquitur. Quoties ergo importunè,vt assolet, carnis cogitatio mentem pulsat; v. g. cùm de potu, de cibo, de somno, ceterisq́; similibus ad carnis curam pertinentibus cogitantes humano quodam inardescimus desiderio; certum sit nobis, spiritum carnis esse qui loquitur: & tamquam aduersarium repellamus eum, dicentes; Vade retrò satana, quoniam non sapis

Sermone cognoscuntur. Sermo carnis; Matth. 8.

ea

ea quæ Dei ſunt, ſed magis ſapientia tua inimica eſt Deo.

Cùm autem non de illecebris carnis, ſed de ambitione ſęculi, de iactantia, & arrogantia, ceteriſque ſimilibus cogitatio vana verſatur in cordibus noſtris, ſpiritus mundi eſt qui loquitur, longè pernicioſior hoſtis, & maiori ſollicitudine repellendus. *Mundi.*

Interdum verò ſatellitibus iſtis terga vertentibus, princeps ipſe habens irã magnam, tamquam leo rugiens, inſurgit aduerſum nos, cùm videlicet non ad voluptatem carnis, aut ſęculi vanitatem, ſed ad iram, ad impatientiam, ad inuidiam, ad amaritudinem animi prouocamur. Huic ergo cogitationi non aliter, quàm ipſi diabolo, reſiſtendum eſt; nec aliter ab ea, quàm ab ipſa perditione cauendum. Scriptum eſt enim, In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. *Dæmonis.* *Luc. 21.*

Fit tamen aliquando vt ſpiritus noſter à quolibet horum trium crebrò ſuperatus, illique ſeruus addictus, in ſuam ipſius perniciem, heu! vices illius agat; ita vt iam ſine omni alterius ſpiritus ſuggeſtione, ipſa ex ſe anima aut voluptuoſas, aut vanas, aut amaras pariat cogitationes. Tum verò non facilè arbitror poſſe diſcerni, noſtérne ipſe loquatur ſpiritus, an alterum loquentem audiat. *Hominis vitii.*

Sed

Quid illis. Sed quid refert, quicumque loquatur, dum vnum & idem sit quod loquuntur? Quid refert loquentis nosse personam, dum constat perniciosum esse quod loquitur? Si inimicus est, resiste viriliter inimico: si tuus ipse spiritus est, argue eum, & miserabiliter plange, quòd in tantam miseriam, & miserabilem deuenerit seruitutem.

Sermo Dei, & Angeli. Quoties verò super castigando corpore, humiliando corde, seruanda charitate, seu ceteris virtutibus acquirendis, conseruandis, amplificandis, salubris cogitatio in mente versatur, diuinus sine dubio spiritus est qui loquitur, aut per seipsum sanè, aut per Angelum suum. Et quemadmodum de humano aut maligno spiritu dictum, sic & de Angelico & de diuino. Nec facile est, quis loquatur, discernere, nec ignorare periculosum; præsertim cùm certum sit, Angelum bonum numquam loqui ex semetipso, sed Deum esse qui loquitur in ipso.

Quid illi. Eas igitur cogitationes, quæ iustitiæ & veritatis nos admonent, tota deuotione suscipientes, diuinæ dignationi gratiam habeamus, nec aliquando tantæ benignitati inueniamur ingrati. Quantæ temeritatis, imò quantæ insaniæ est, si fortè, dum alloquitur nos Dominus maiestatis, nos insensati auertamus aurem, & ad nescio quas ineptias

conuer-

conuertamur? Quanta est hæc iniuria, & quàm grauiter vindicanda, cùm vilissimus vermis clamantem ad se audire dedignatur Creatorem vniuersitatis? Quanta verò & quàm ineffabilis diuinæ dignatio bonitatis, quæ quotidie conspicit nos infelices, auertentes aures, obturantes corda, & nihilominùs clamat ad nos, & iugiter clamitat in plateis? verè in plateis, quia in latitudine charitatis. Ecce enim, bonorum meorum non eges, Domine; & tamen dicis, Conuertimini, filij hominum. Et iterùm clamitas, Reuertere, reuertere, Sulamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te. Propterea obsecro vos, dilectissimi, ne taceatis, & ne detis silentium ei audientes iugiter, quid loquatur in vobis Dominus Deus, quoniam loquetur pacem. Felix & beata anima, quæ venas susurri diuini percipit in silentio, frequenter iterans illud Samuelis: Loquere Domine, quia audit seruus tuus.

Hactenus sancti Doctoris verba sunt, nonnumquam, perspicuitatis & argumenti nostri gratia, intermissis nonnullis. Hæc autem cùm sint verissima, & apertiùs originem cogitationum indicent, planè consentiunt antè dictis, non esse nisi originem triplicem, mundum enim & carnem, vel humana vel diabolica complectitur. Eodem

planè

planè sensu, & vtilitate doctrinæ persimili, Magnus ille Gregorius ad duo capita reuocauit, *In electis,* inquiens, *& reprobis diuersi sunt impetus. In electis videlicet, impetus spiritus; in reprobis, impetus carnis. Impetus quippe carnis ad odium, ad elationem, ad immunditiam, ad rapinam, ad exteriorem gloriam, ad crudelitatem, ad perfidiam, ad desperationem, ad iram, ad iurgia, ad voluptates animum impellit. Impetus verò spiritus ad charitatem, ad humilitatem, ad continentiam, ad largitatem misericordiæ, ad interiorem profectum, ad pietatis opera, ad æternorum fidem, ad spem sequentis gaudij, ad patientiam, ad pacem, ad considerationem vitæ immortalis, ad lacrymas mentem pertrahit. Vnde necesse est, vt magna semper cura considerare debeamus, in omne, quod agimus, qui nos spiritus ducat: vtrùm nostra cogitatio per impetum carnis, an per impetum spiritus impellatur.* Egregium, tantoque auctore dignum monitum! id vnum, & præ ceteris quæramus, obseruemus; Quis ille, qui in nostra mente dominatur spiritus? quo auctore, impulsore, moderatore, ad agendum cessandúmve permouemur? Cùm igitur id tanti sit, hæreamus hîc pauxillum, & quibus argumentis de cogitationum actionumque origine duci possit coniectura videamus.

Homil. 5. in Ezech.

C A-

CAPVT XVI.

Undênam cogitationes à Deo profectas agnoſcemus.

HIC de ijs cogitationibus agimus quæ à Deo, non vt naturæ, ſed vt beatitudinis auctore, & ad æterna perductore, ſunt, in eumque finem immittuntur ac expetuntur. Et quidem non de omnibus, ſed de illis, quæ vel ad actiones, vel ad vitæ normam dirigendam, certoque modo efformandam referuntur: cuiuſmodi ſunt multa deſideria, propoſita, conſilia, quæ agitamus, & in quibus vel certò in vnam partem ferimur, vel quid potiùs ſequendum ſit hæremus dubij: valdeque controuerſum eſſe poteſt, ſintne à Deo iſti animorum motus. *De quibus cogitationibus agatur.*

Rem paucis conficiendam video, ſi S. Baſilium conſulimus: is enim cùm de ſermone Dei quæreret, negaretq; ambage verborum & ſoni repercuſſu fieri, addit quod latiſsimè ſed veriſsimè dicatur, Ἢ δυσσεβές ἐστι λέγειν, ὅτι τὸ ὅσιον βούλημα, καὶ ἡ πρώτη ὁρμὴ τοῦ νοεροῦ κινήματος, τοῦτο λόγος ἐστὶ τοῦ Θεοῦ; *Annon magis eſt pietati conſentaneum, ſi dixerimus, ſanctam voluntatem, & primum intellectualis motionis impetum, eſſe ſermonem Dei?* Sed hîc non morabor in verbis ſingulis expendendis, in rem tranſeo.

Equi-

Equidem, non corporis, at animi pafsibus & affectibus, ad Deum acceditur, hoc eſt, acceditur per eas cogitationes, quæ cęlitùs demiſſæ, Dei ſunt conciliatrices, diuinæ deſponſationis pronubæ, æternæ beatitatis modus & menſura: cumque per eas ad Deum perducatur, quicumque perducitur; nemo etiam ad Deum, niſi Deo per eas quaſi manuducęnte accedat; ideò planè neceſſe eſt eas eſſe egregium quoddam atque diuinum Dei donum.

Hinc etiam conficitur, in hiſce cogitationibus eximium quiddam ineſſe, ſublime, excelſum, & ad verè magna, verè ſancta perducens, ac denique eiuſmodi, vt ſua origine, tantoq; parente Deo, nõ indignę videri debeant, præſtantiam aliquam habeant, vnde vel plurium, vel vnius cuiuſpiam diuinæ perfectionis deriuatus fulgor illuceat, nihil verò quod alicunde diuina maieſtate ſit indignum. Quod vt preſsiùs, & ad vſum faciliùs, certo limite comprehendam,

Quatuor Dei perfectiones quibus dirigimur.

Quatuor in Deo ſunt, quæ potiſsimè faciunt ad hanc, qua de agimus, hominis gubernationem, & in certum vitæ genus, ac per hoc æternæ gloriæ deſtinationem certam; nempe Eminentia, Veritas, Bonitas, atque Sapientia. Vt enim ad ſumma & diuina perducatur, emineat rebus infimis oportet,

tet: vt in errores, & vanitates non abducatur, non fallatur specie mendaci, Veritate est opus: vt vitiis, vt cupiditatibus non cedat, & summa eius egestas diuinis donis & liberalitate ditetur, Bonitas auxilio est: vt dæmonis pedicas effugiat, vt calle certo, & non aberrante ducatur, Sapientia commõstret iter necesse est. Atqui hæ summi Dei perfectiones, quibus ducimur, non insensili quodam impulsu, sed leniter in mentes illabendo, suiq; cognitione & amore per sanctas aliquas cogitationes & inspirationes permouent: quæ cùm sint à diuinis illis perfectionibus quasi prognatæ, earum excellens quiddam redolent, ac, vt ita loquar, diuinitatem participant, eminentes, veræ, bonæ, atque sapientes; non cuiusmodi passim solent miseris, & à Deo alienis, ac in terram curuis mortalibus inserpere, terrenæ, falsæ, malæ, insipientes, & stolidæ. *Quæ vi agant.*

Eminentiam decet ad verè magna & excelsa prouocare; neque inferiore quopiam gradu sic esse contentum, quin maior & perfectior, indefessa progressus auiditate quæratur. Hinc diuinis inspirationibus quiddam inesse necesse est, viuidum, vegetum, excitatum, & quasi mordicans, atque ad anteriora compellens; breuis huius vitæ honores, & gaudia, dolores, & aduersa, *Eminentiam quid deceat.*

parui esse ducenda commonstrans; quæ verò Deo magis adiungunt, æternitatique conducunt, illa verè magni esse facienda. Hinc animus inferiora despectans, & ad superna atque diuina suspensus. Hinc suiipsius, quem tot vndique infirmitates & miseriæ obsepiunt, summa contemptio; vera humilitas, & eorum, quæ humilitati congruunt, sanctus amor; splendoris humani fuga, vanæ gloriationis & iactantiæ despicientia, exercitatio rerum humilium; sancta magis proborum, quàm illustria Magnatum adamata consortia. Hinc denique obedientiæ sanctus amor, quo viri sancti se totos & quàm perfectissimè Deo suo tradere nituntur, voluntatem suam, suas rationes & iudicia exuere amant, vt altioribus principiis Regi, Deumque, auctore & duce Deo, consequi possint.

Cùm igitur de vitæ genere deligendo cogitatur, cogitationes illæ, quæ à Deo sunt, ad hæc vel his affinia solent tendere, tumque demum Deo dignæ videri.

Bonitas quò impellat.

Bonitatem verò Dei decet eas cogitationes atque propensiones ciêre, quæ ad optima quæque quàm maximè admoueant; & ab omni ad peccandum opportunitate atq; procliuitate semoueant, ac potiùs optent quæ confirmandis, atque in virtute retinendis

dis animis profutura iudicantur. Vnde fit, vt quoties de vitæ genere ancipites hæremus, Deumque consulimus, tum verò perfectionis, & imitandæ pro cuiusq; modulo, IESV CHRISTI Domini nostri vitæ flagrantia desideria incendat, vniusque vel alterius instituti, quod nobis nostræq; perfectioni sit aptius, amorem leniter insinuet, ostẽdatque quid in illo sit optimum, quem ad scopum tota vitæ nostræ, atque conatuum summa collimet, vt iam tum videre liceat adumbratam, quam deinceps sanctimoniæ formam subtiliore penicillo exprimamus. Hinc tantus ille adamati instituti, tamque delicatus, quem in candidatis videmus, amor, nihil vt ei præferant impatientes moræ, retinacula præscindere quàm soluere paratiores, quiduis aggredi prompti, & nulli rerum aliarum æstimatores. Hinc tanta salutis animi cura, tantus ab ęternis bonis excidendi timor, vt nusquam, nisi quò Deus vocat, sibi tutis consistere licere putent, ibi nihil arduum, nihil extimescendum videant, alia omnia plena pauoris, plena formidinis, præsentem æternæ mortis imaginem obtendant. Quas, & eiusmodi cogitationes atque impulsus à Deo esse, & ab eius bonitate homini dari dicimus, cùm sint verè Deo dignæ; amorem enim diui-

num inflammant, virtutum ſtudia inſtigant, ſalutis curam exacuunt, à peccato & extremi exitij periculo arcent, animíque vitam, quà licet, in tuto locant.

Veritas quid afferat. Iam verò, quod ad Veritatem attinet, eam decent fides indubia, candor ſimplex, nec fucatus, & certa ac firma ſecuritas. Hanc indicant, & ab hac proficiſcuntur, eorum, qui vitæ inſtitutum ex Dei voluntate ſuſcipiunt, non ſimulatus, rectáque quò feruntur tendens animus, fiducia nihil trepidans repulſarum, & tentamentorum victrix conſtantia, quæ ſibi etiam vltimam, per quæcumque, ſeu blanda ſeu aſpera, iam tum ſpondet perſeuerantiam: nec eam de falſo vel vano ſumit, ſed perſpicua Dei luce, & conſcio mentis intimæ ſinu: ſe percipit nulla fallentis imaginis ſpecie, nulla illudentis cupiditatis blanditie ineſcari, ſed ſolis, & ſolidis, ac cælitùs hauſtis, in cælumque redeuntibus moueri principijs.

Sapientia quò proueh at. Sapientiæ denique quàm maximè conueniens fuerit, in eum, ad quem creatus eſt finem, hominem ducere, eumque, qui latebat occultus, aptum vitæ Statum retegere, largiendò ſublimem quemdam atque defæcatum rerum guſtum, non illum corporis, ſed interiorem rectè iudicantis animi, cui ineſt conſentiens cum diuina ſapientia

ſapor,

ſapor, diſcernens, ac quodammodò deguſtans, & cuncta diiudicans, petitis ab ęternitate, à Dei voluntate & diuina gloria rationibus. Hinc diuitiarum, honorumq́ue atque principatuum (quæ tantopere mirantur ceteri) deſpretores animi hauriuntur: hinc tãtum harumce aſpectabilium rerum, fauorum humanorum, mollium deliciarum faſtidium: hinc vel ſenſim, vel deſubitò immutati amores, vt oderint quæ amabant, ament quæ oderint. Iam enim perſpicuè vident, intimè ſentiunt, quantæ foret inſipientiæ, quamq́ue parum vel rei dignitati, vel finis excellentię conſentiret, qui hominem ad ſumma procreatum ad ima demergeret. Inſanienti ſimilis ille pictor haberetur, qui ſumma arte deſcriptam, & Apelleis illis tantopere celebratis æmulam tabulam, nulla grauiore neceſſitate preſſus, vilium lignorum inſtar, cinerandam igni traderet: nec aliunde error, quàm quod nõ vſtioni, ſed mirationi parata fuerat. Parùm ergo ſapiens conſilium fuerit, hominem ad æterna, cæleſtia, diuina ſuſcipienda natum, exprimendæ Dei ſimilitudini aptum, terrenis immergere, voluptatibus fœdare, vaneſcentium rerum amoribus illigare, & ad ea compingere, vbi ſalus eius in graue diſcrimen vocetur. Quapropter ita ſentit, non

ad vilem huius mundi gloriam, non ad incertos huius vitæ honores, non ad pereuntes terræ diuitias, non ad falsa carnis oblectamenta, non ad spes inani expectatione turgescentes, vocare Deum: sed contraria, vereque magni animi argumenta consulere, fugam sæculi, abdicationem rerum omnium, castitatis munditiem, humilitatis, obedientiæ, sanctarumque virtutum præclarissimas actiones, quantum quisque pro suo captu poterit, nitendo consequi: sunt enim hæ à sapientissimo ductore viæ decentissimæ, securissimæ, atque florentissimæ, quibus diuina sapientia ad sublimem & optatum finem eos ducit, quos præcipuè diligit.

Quæ cogitationes à Deo. Manant igitur à Deo cogitationes veræ, sanctæ, viuidæ, erectæ, illustres, & luminosæ, voluntati diuinæ, consiliisq; diuinis, diuinis perfectionibus conformes pariter & cõformantes, perennia & æterna spectantes, Sanctorum vitam æmulari auidæ, perturbationum, & quarumcumque minimarum imperfectionum capitales hostes, acres ad virtutem instigatrices, pacis ac tranquillitatis animi conciliatrices, consolationis, intimæque lætitiæ spiritus datrices, cõtemptrices periculorum, Deo fidentes, sibi diffidẽtes, & quiduis, eo duce, audentes, eo remoto,

to,formidantes. Illæ ſunt, quæ dubitationum nubes diſſipant,clariùs edocent, quid de vita deque ſingulis actionibus ſtatuendum ſit,quàm agendum fortiter, quàm ſaluti noſtræ, maiorique diuinæ gloriæ nihil præuertendum, quàm conſtanter & perſeueranter aduerſi obices perrumpendi. Illæ ſunt,quę non inanem virtutis vmbram,non externam ſpeciem, ſed veram ſolidamque, nec vlla oſtẽtatione fucatam perfectionem veſtigare ſuadent, quæ profundæ humilitatis,contemptioniſque ſui demiſiſſimo fundamento, mortificatione perpetua, opprobriorum,& Chriſti inſignium amore, regni cæleſtis domicilium ſtabiliunt & erigunt. O quantum ſpiritus hic ab humano diuerſus abiit! Verè dixiſti, Domine, Cogitationes meæ, non ſunt cogitationes veſtræ; & cogitationes veſtræ, non ſunt cogitationes meæ. Emitte,Domine, ſpiritum tuum,nobiſque recta cogitandi, & quæ rectè cogitata fuerint opere complendi gratiã concede.

CAPVT XVII.

Quæ cogitationes ad Matrimonij commoda, vel honorum gloriam ducant?

SED ſi vera iſta ſunt, inquies, inde conficitur, nullum vitæ Statum, qui diuitiis,

Ergòne Status honore & diuitiis fulgentes improbantur?

honore, poteſtate, commodis abundet, à Deo eſſe, neminem à Deo iſtuc vocari: quo quid abſurdius dici poteſt? ſunt enim in omni Republica Magiſtratus, tã ſacri quàm profani, ſunt Epiſcopi, ſunt Præſides, iudices, viri primarij, copioſi, diuites, paci & tranquillitati publicæ conſeruãdæ, magnoq́ue humani generis bono, honori, & cultui diuino promouendo præpoſiti: quorum non pauci vitæ ſanctimonia ceteros, non minus quàm honoris gradu, anteſtant. Iam, ſi ad iſtiuſmodi vitæ munia diuinitus vocati ſunt, honorum quoq; adeundorum, diuitiarum vtendarum, commodorum non reſpuendorum, imò & (dummodò non immodicè) procurandorum cogitationem, & propoſitũ à Deo immiſſum ſuſceperunt.

Naſcuntur quidam publico.

Habet equidem hæc obiectio, vt veritatis plurimum, ita etiam ad explicanda quæ tractamus, occaſionis non parum. Vix enim vſquam obſcuriores, & magis ambiguæ Dei vocationes reperiuntur. Conſtat enim, ſingulari Dei dono Rebuſpublicis naſci viros, induſtria, iudicio, gratia, rebus gerẽdis idoneos, qui collapſa erigant, erecta ſtabiliant, ſtabilita promoueant, qui malorum improbitatem legum ſeueritate coërceant, qui ſuæ auctoritatis præſidio, vt bonis viris tranquillè viuere liceat, caueant. Attamen &

Regnis

Regnis Absalones, & cõsiliis Achitopheles, fictique & ambitiosi multi sese gubernaculis admouent: dolo & malis artibus, vi nonnumquam, quietem publicam perturbant, iura subuertunt, egentiores opprimunt, publica priuatis postponunt, suis commodis cuncta metiuntur, dumque sibi seruiant, quid rectum, quid æquum, quid Deus ipse postulet, negligunt. Nempe hi sunt, qui regnant, sed non ex Deo; prophetant, sed sanctus eis non loquitur Spiritus; euangelizant, sed diuina nulla iussione vocati vel missi. Dicendum igitur quem in modum hæ vocationes fiant.

Taceo de illis qui ad Magistratus vocantur, vel præter ordinem, vt Moyses, Dauid, Aaron, Constantinus Magnus, Pipinus, Carolus Magnus, & similes; vel de iis, quorum refragari non licet electioni, vt si qui legitimè in Papam, Episcopum, Prælatum eligũtur; vel Iure hereditario, quod iam olim & communi consensu probatum est: quorum omnium vocationem esse legitimam, & à Deo profectam, in dubium vocari non debet. De aliis agitur, qui sponte sua ad dignitates perreptant, vel in dubium vocant, sitne sibi id ingrediendum vitæ curriculum, ex quo ad honores, & Reipublicæ munia pateat aditus? aut, si ne quidem huc *Quidam certò dantur.* *De quibusdam dubitatur.*

aspirant, id ne sint amplexuri, vbi rei suæ familiaris curandæ & augendæ curam vnam suscipiant? De quibus vt iudicare possimus, Animaduertenda duo, & ea quidem maximi momenti. Primum est, Eorum, quæ ab homine fiunt, nihil esse quod ratione sui magnum sit apud Deum, cùm cælum & terra, & quidquid cæli ambitu cōtinetur, sit instar momenti stateræ, instar guttæ roris antelucani: id vnum est magnum, vereque prętantius ceteris, præ Deo omnia contemnere, sanctęque ipsius voluntati omnia posthabere, nihil maius, dignius, aut sanctius, quàm sanctissimam Dei voluntatem conari peragere, omnibus eam desideriis, commodis, ipsis quoq; virtutibus anteferre.

Humana maxima, Deo minima.

Alterum est, Summam Dei sapientiam non ita hominem ad ęterna fecisse; quin huius etiam vitæ, quasi viæ, magnam & prouidentissimam curam gesserit, vt in ea commodè, ordinatè, leniter, & appositè cuncta gererentur, eorumque quæ siue ad sustentationem corporis, siue ad animi culturam, siue ad priuatorum tutelam & ornatum, siue ad Rerumpublicarum bonam gubernationem facerent, copia suppeteret. Cumq; horum plurima ex hominum industria pendeant, mutuísque laboribus in commune collatis fiant, hîc suauis quępiam

Deus huic vitæ prouidet.

&

& permira diuinæ prouidentiæ vis elucet, quæ nihil deesse patitur eorum, quæ ad vitam honestè decoreque traducendam non solùm necessaria, sed etiam opportuniora fuerint. Itaque non tantùm non desunt Reges & Principes,& Magistratus, quibus remotis,Iura,leges,& humana tota societas confunderetur; sed neque deficiunt horum administri, & varia quædam quasi additamenta vilissima, sine quibus suam, magna illa nomina, dignitatem retinere non possent,cuiusmodi sunt famuli, serui, sutores, agricolæ,fossores, plurimique infimæ classis proletarij, quos non sola victitandi necessitas, sed quædam insita naturæ procliuitas sic in varia opificia distribuit, nullum vt sit, quod non à quibusdam, quantum humanæ vitæ ratio exigit,excolatur.

Ex hoc fonte profluxisse credendæ sunt habilitates, & ingeniorum propensiones propè incredibiliter variæ,seu in excogitando, seu in agendo faciendóve; quosdam vt hominum videas quopiam in rerum genere sui admirationem ciere,qui bardi & stupidi in ceteris; hi ad Philosophorum, illi ad Iureconsultorum argutias nati; hi pacis, illi belli artibus clarent: sunt qui ad Mathesin, architectonicam, agricolationem, pictoriam, tectoriam, mercatoriam, fabrilem, aliasq;

Inde habilitates variæ.

aliasque plurimas, ita à natura facti videntur, vt in aliis omnibus hebescant, penitusque nihil capere posse videantur.

Illarum vsus. Iam verò, cùm & in commune commodum, & bonas, quibusque benè vti liceat, procliuitates eas dederit Deus, aliasque non sit elargitus, aut saltem longè inferiore gradu, consentaneum est, vt quando de vitæ instituto eligendo consuletur, id consulat quod ad commune bonum præstat, & in quo melior illa, quæ homini inest, habilitas otiosa non pereat.

Opportunitas ad Statum. Quapropter qui sic ad orationem, & solitudinem, & in Deum pietatem propensus est, vt cetera fastidiat, &, si quid in eis conetur, irrito & successus vacuo labore fatigetur, eum ad aliquod sibi soli vacans institutum vocabit Deus. Qui verò ad publicam rem gubernādam, Iura statuenda, & discriminanda totus valet, hebet in ceteris, cuiusmodi sunt non pauci, hunc ad Reip. gubernacula vocabit Deus: alium verò ad rem bellicam, pacemque aduersus perduelles tuendam, si eum Martia spirantem, & ad bellicosa facinora, ingenio & manu promptum videat. Plura non enumero, ex his enim non ęgrè conijcias, quodnam de ceteris iudicium sit ferendum.

Quid in eis cauendum. Obiter moneo, ne solas has procliuitates inten-

intentiùs consulas: nam & nonnumquam ab assuetudine vel educatione magis quàm à natura inditæ sunt, & non tanti momenti sunt, quin aliarum vtilitatum, vel incommodorum, quæ comitantur, potior sit ratio. Sed quærendum, an ex eo etiam sit consequens, cogitationes gubernationis hominum cupidas, bonique publici, vel id, quò natura fertur, exercendi sitientes, mihi à Deo immitti.

Cùm etenim non adeò multi sint, qui habilitates eas tam eximias sortiantur, vt ab eis ad certum vitæ genus compelli, & ab Euangelicis consiliis quasi repelli iudicetur: idcircò duo vocationum esse genera autumo, ad eius instar, quod in bene morata Republica solet fieri: vbi duo quæpiam occupationum siue professionũ vitæ sunt genera. Vnum, quod à Rege vel Principe non solet obtingere: vel enim vilius est, vel cuiuslibet liberæ electioni expositum, qualia sunt opificia, mercimonia, literarij gradus, & studia diuersa: de illis autem, quæ hereditario iure obtingunt, non agimus, habent enim quamdam cum eis vocationibus similitudinem, quæ à prima nonnullis infantia contingunt. Alterum genus est, quod officij, muneris, dignitatis vim obtinet, quodque quò preclarius fuerit, eò magis à Rege confertur,

Duo genera vocationum.

fertur, qui ſolus primaria regni officia largitur.

Ad hunc fermè modum, duo vocationum diuinarum genera eſſe crediderim: Vnũ quod ſiue Tacitum, ſiue permiſsiuum dici poteſt, & ad plurimos pertinet: quando ſcilicet mentem hominis ad aliquid præclarius, & Deo dignius, non excitat Deus; ſed eum ſibi & communibus Chriſtianæ religionis legibus, quaſi in communi Reip. vulgo relinquit, viuat, res ſuas agat, Iura non violet, Chriſtiani ciuis munus expleat, vt ex hac in terris degente ciuitate, ſceleris & iniuſtitiæ purus, in cęleſtium ciuium numerum, huius vitæ tranſacto curriculo tranſſcribatur. Nempe hi ſunt, qui ad contuendam Euangelicorum conſiliorum, ſeu omnium ſeu aliquorum præſtantiam non aſſurgunt, non eis in mentem venit, aut ſi venit, non quaſi ſibi expoſitam, ſed peregrinam & aliis ſepoſitam cogitant. Cùm autem non ſit hominis irruere, ſed vocatum accedere verecundè, cenſentur hi vocationis ſuæ numeros explere, quando id abſque reprehenſione peragunt, quod videtur communi diuinæ prouidentiæ lege demandatum.

Primum tacitum, ſiue permiſsionis.

At eſt nobilius aliud vocationis genus, quando diſertè ad ſanctius vitæ genus vocat

Aliud expreſsius.

cat

cat Deus, vel quando ad id vocat quod singulari & eximiæ habilitati vtēdæ, aut Reip. conseruandæ necessarium est. Hęc duo rariora; primum, quo vocat ad sanctiora, frequentius est: planeq; ijs persimile, quos Rex è communi plebe in Præsides, Principes, familiares, & exercituum duces eligit, etenim *de stercore erigit pauperem, vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.*

Verùm in ijs quos Reipublicę vel habilitatum causa ad certas functiones vocat, est pręterea magnopere animaduertendum, ipsasmet functiones ab adiunctis distingui oportere. *Adiuncta.*

Quædam enim ita sunt adnexa, vt separari nequeant; quare si ad functiones vocat Deus, etiam ad huiusmodi adiuncta vocat: si ad Remp. consilio, & iudicio pręcellenti iuuandam, etiam ad honores & dignitates ad id necessarias vocat, non tamen ad ambitionem & prensationem cupidam & immoderatam; cùm sine hac diuinæ prouidentiæ vis clariùs emicare potuisset: non enim ad ea vocat, quæ tantillum quid imperfectionis admistæ habent; neque qui ad aliquam functionem vocat, ad ea vocat, quę cum illa nonnisi casu vel voluntariè cohærent. *Necessariò. Vitiosè, Casu,*

Quamuis si multum conducunt, vel fun- *Vtilitate agnata.*

functionis illius exercitium reddunt expeditius, nec aliunde grauiùs incommodant, ad illa quoque saltem tacitè,&c, vt diximus, permittendo vocare crediderim: quo pacto propemodum omnes matrimoniorum electiones & vocationes dirigi putem, dum eorum electionem vel naturæ permittit Deus, vel vocat ad id vitæ genus, in quo domesticæ rei cura vix nisi mulieris ministerio administrari potest, alienam autem adhibere, intutum, & calumniis ac molestiis plurimis obnoxium esset.

Prætereà, non vna sola propensio, & in vnam partem habilitas, sed tota propensionum omnium quasi complexio spectanda est, & ex omnibus simul compositis iudicandum quid expediat: etenim ex adiuncto id contingit esse fugiendum, quod aliàs exoptandum fuisset: veluti si Lucius ad militiam quidem à natura mirè factus videtur, at præferuidus & irę impotens, in Venerem & Bacchum sic effusus est vt oblata occasione rapiatur, & in quæuis probra volutetur: si Quintus ad negotiorum tractationem, litium, Iuriumque diiudicationem, populorum gubernationem aptus natus est; at ęmulationis, inuidiæ, auaritiæ, ambitionis facibus adeò incenditur, vt nulla ratione moderari sibi possit: certum videtur, & Lucio

cio militiæ, & Quinto administrationis professionem non expedire, eò quòd tam prę̨senti & quidem ę̨terna sua pernicie temporariam Reipublicę̨ vtilitatem promouere non debeant. Propensionum autem quas fuerant sortiti, ea erit longè maxima & gratissimos Deo cælestis gloriæ fructus productura vtilitas, quando ne diuina præcepta peccando violent, ea contemnent ad quæ suo impetu ferebantur, ac illa in Dei gloriam complectentur à quibus abhorrebant. Sin autem quæpiam fuerit ad res minoris momenti (cuiusmodi sunt mechanicæ) procliuitas, non tanti facienda est vlla quantacumque in res eas habilitas, vt ab amplexanda perfectione Christiana, diuinisque consiliis audiendis retardet.

Denique ex iis quæ recensui mus, id etiam conficiendum restat: Satis esse, quod ad functiones reipublicæ vtiles, ad magistratus, imperia, infulas vocet Deus, earumque vel appetendarum vel admittendarum cogitationes homini immittat; nihil tamen necessum est, vt gloriæ, vt commodorum, vt voluptatum desideria sint à Deo, cùm potiùs inde dehortetur, suorumque mentes excitet, vt in rerum earum licita fruitione sibi vim inferant, intusque displiceat, quod placet foris: adeò vt quędam, procul- *Ad quanã ipsorũ vocet Deus.*

 dubiò

dubiò in communem populi salutem vocata, profiteretur: *Nosti Domine, quia oderim gloriam iniquorum, & detester cubile incircumcisorum. Tu scis, quòd abominer signum superbiæ, & gloriæ meæ, quod est super caput meum, in diebus ostentationis meæ, & detester illud quasi pannum menstruatæ.* Vnde si honoris aut gloriæ cupiditate, si voluptatis auiditate compulsus, matrimonium, vel bellicam, vel aulicam, aut aliam quampiam vitam cogitas, planè fateor id me non posse velut à Deo agnoscere: quod possem fortassis, id ipsum si sanctiore fine ob oculos posito cogitares. Vt enim Episcopatum, ita Magistratum, ita quodpiam commune vitę genus, quasi opus bonum, desiderare quiuis potest, qui videt eò se trahi cælitùs. Licet autem & inesse commoda, & abundare videat gloriam, eam inquam gloriam quæ nō tam à Deo quàm ab hominibus est, potest non inde permoueri ad eligendum, sed altiore consilio regi, & in humanis atq; temporariis commodis & honoribus, ęterna & diuina spectare. Id fieri posse, etiam tacente me, probant sancti Pontifices, sancti Reges, illique viri, qui Deo simul & hominibus magni fuere; arduum tamen est, & fallentis mundi pellaciis, vt decipiaris, obnoxium: omninoque paucissimi, quos prouida benigni

Esther c. 14.

nigni Dei cura vulgò exemptos virtute firmauit,& ad excelsiora prouexit,paucissimi, inquam,in hoc mundi pelagus innoxiè ingredi,pauciores rebus integris,in ęternæ patriæ portum egredi salui incolumesque potuere. Sed satis sit docuisse, quî id fieri aliquando possit, tuum est,cuius res agitur, an reverà Deo duce regaris, seriò & seuerè inquirere.

CAPVT XVIII.

Quæ cogitationes à dæmone malóve fonte dimanent.

TANTA est inimici genij malignitas & importunitas,vt quamuis forsan aliunde mali aliquid irrepserit, ipse tamen protinùs,vt fotor, instigator, & ad peiora incitator aduolet: & si fortè aliquando bonum quodpiam consulat,numquam tamen, nisi malo admixto, & vt grauiùs alicunde noceat: quo fit vt malum omne in eum referre,ab eo bonum omne remouere possimus. Itaque primum id sit,& latè patens axioma, Omnes eas cogitationes, quibus praui, indecori, importuni, vitiosi, peccantis aliquid insit, probabiliter admodum originem à dæmone traxisse, illi saltem amicas esse, ab eo foueri, instigari, increscere: quo fit, vt cùm exitiales nobiscum gerat inimicitias, *Cur mala omnia dæmoni accepto ferenda.*

nobis exitiosæ, & ad extremam perniciem excogitatæ sint, ideoque aspernandę, & quo blandiores, eo solicitiùs, quasi deceptrices, declinandæ. At verò, quæ nulla sui parte vitiosæ, hæ à dęmone esse non possunt.

Præthereà, cùm simile gignat sibi simile, & ad originationis suæ similitudinem cogitationes efformentur, à dæmone verò mali & peccati initium omne ducatur, omnes eas malas, ab eoque ortas dicemus, quas cum eo similitudinis aliquid contraxisse constat: eas verò, de quibus necdum constat, anceps autem dubitatio exoritur, explorare diligentiùs oportet, neque leuiter alteram in partem præcipitare sententiam.

Dæmon Deum odit: Sunt in exitiali illo serpente duo, è quibus cetera deriuantur; Vnum, quòd diuinam Maiestatem odio summo prosequitur, contraria sectatur, eius gloriæ atque voluntati in omnibus obluctatur. *Dei similitudinem mentitur.* Alterum, quòd Deum assimilari, & ementita eius imitatione hominibus illudere, sibique, quasi alteri Deo, adblandiri nititur; hinc tortuosus & versipellis serpens, cùm sciat nihil esse malitia & peccato, si perspicuè cerneretur, tetrius & odiosius, omnis generis fraudibus, mendaciis, fucis vtitur, quo deceptas hominum mentes boni cuiuspiam & iucundi specie illectas atque deceptas illaqueet.

Itaque

Itaque ex primo eo (quòd maximè Deo aduerſatur) fit, vt ea quoq; magis oppugnet, quæ vel Deo magis adiungunt, vel eius gloriæ promouendæ ſunt magis accommoda: ijs faueat, quę à Deo reuellunt, eiuſque gloriam infringunt. Quapropter quàm poteſt acerrimè ab humilitate, à diuitiarum & honorum contemptione, à caſtitatis perpetuæ amore, à libertatis & ſuæ voluntatis abdicatione, à communi cum ceteris vitę melioris profeſſione deterręt, quòd in his magna firmandæ virtuti, hominemq; Deo induulsè addicendi, præſidia videat abundare. Quæ verò cogitationes hiſce rebus optimis aduerſantur, non niſi è purulento hoſtis inferni puteo exhalantur. *Impugnat Deo gratiora.*

Iam quia ſuperbiſſimus, quia diuinorum honorum improbè appetens eſt, affectatam quamdam Dei ſimilitudinem molitur: quam, ſi penitiùs introſpicis, ſummè diſſimilem deprehendas; cùm enim nihil veri boni velle, nedum perficere poſſit, id quidquid ficti boni eſt, multa mali inſperſione inficit, adumbrata pro ſolidis, ementita pro veris, euanida pro vegetis prófert. *Inaniter ſimulat Deum.*

Eminentem vt æmuletur Deum, turget, ſuperbit, elationis & vanæ gloriæ, & inaniſſimi honoris vana ſpe ſuos lactat, ambitione deludit, rumuſculis lactat, iactantiâ ri- *Eminentia adumbrata.*

 den-

dendos propinat, impatientes iugi reddit: vereque id efficit, vt dum ſibi magni, ſibi ſui ipſorum domini videntur, reverà mundo, vitiis, dæmoni, miſerrimam ſeruitutem ſeruiant.

Bonitas ficta.

Bonitatem Dei ſummè odit, at fraudium ſummus artifex ſimulat tamen, & vbi ſimulando irrepſerit, audaciſſimè bonum omne ſubuertit. Hinc ad ea incitat, quæ ardua, difficilia, ſupra vires poſita ſunt, vt cùm inde deiectus corrues, frangaris animo, & ne quidem mediocria teneas, tuoque lapſu in eamdem exemplo tuo ruinam alios quoque præcipites agat. In eam ſubinde viam ducit, quæ licet non mala, vicino tamen laborat præcipitio, quo te deijciendum certò conijcit: videt magnanimum, at in rixas & Venerem æquo propenſiorem, Reip. adminiſtrandæ, rerum in bello fortiter gerendarum cupiditatem inflammat, non vt Reip. proſis, ſed vt rixis & Venere ſuperatus æternùm pereas; hoc ſilet, illud obijcit; tu verò eſcam excute, ne hamum glutias. Si minùs hæc poteſt, at ſaltem remiſſa ſuadet, faſtidium boni creat, teporem ciet, nauſeam mouet, obliuionem officij parit, mortis & iudiciorum Dei, æternique memoriam obliterat, aut aliò diuertit, à quauis virtutis & perfectionis exercitatione abducit: cupiditates

tates inflammat, perturbationes fouet, vitia omnia instigat, & occupatum ibi detinet, vbi plures & procliuiores ad peccata & æternam perniciem inductiones videt, honesti hostis, impuritatis procus.

Iam verò, qui singulari prærogatiua nominis Pater mendacij nuncupatur, totus mendacio, dolis, fraudibus suffarcinatur, delectatur inanitate, rumusculis, calumniis, diffidentia, vano timore, desperatione; hæc adhibet, hæc implectit, vt à recto auertere, ad praua deflectere, & in his detinere possit. Cùm te horum aliquo premi vides, cùm inani spe deludi, fama & rumoribus permoueri, desperatione deijci, timore contrahi, diffidentia retardari, & à melioribus audendis repelli sentis, istis haud secùs quàm à patre mendacij ortis fidem omnem abroges, & quæ his contraria sunt secteris, ac suscipias. Etenim ficti & praui tenax, quoniam æternis, cælo pulsus, honoribus excidit, & sempiternæ addictus est ignominiæ: quoniam veras & ad optima perducentes delectationes, quibus ad se alliciat, nullas habet, videt se, si palàm, si ex veritate res agatur, despicabilem & odiosum fore; probrique & conteptionis impatiens, ac in hominem sibi substitutum inuidia turgens, fallacijs armatur, promissis decipit, blanditiis inescat, *Veritas illudens.*

turgidulos, at mox in inane fatiſcentes promittit honores, voluptates fœdas, vereque belluina volutabra obijcit, turpi libidinis prurigine concitat, & in his mirè ſibi placet.

Aſtutia deſipiens. Denique inſipientes admodum ſunt; quæ à dæmone ſunt, cogitationes, omnis enim peccans, ignorans & inſipiens; quippe non recta ſapiens, imò deſipiens. Pro viliſſimis, inanibus, moxque perituris, pretioſiſſima, ſolidiſſima, perduratura perdit; rationem, ordinem, virtutem omnem peſſumdat: ſibi ipſi longè grauius, quàm vlla poſſit vis inimica nocet, ſe perimit, hoſtique omnium crudeliſſimo, minimarum rerum ſpe deluſus, ſeſe ludibrio habendum tradit. Dæmon verò, quod potiſſimè ad noſtram rem facit, eos motus parit, qui bifariàm Sapientiæ aduerſantur: quos enim ardentiùs ad vitæ ſanctioris auſpicia prouolare videt, inconſultis & nimijs auſis præcipitare contendit, rationi & diſcriminatæ conſiderationi moram nullam concedit, inſtat, vrget, exterret; ni continuò pareatur, minas, quaſi à Deo, intentat; audaciam & inconſiderantiam, fortitudinis ſpecie honeſtat. Sin autem ceſſitantem quempiam obſeruat, tum verò huius tarda molimina longa implexorum timorum ſerie innodat, & conſiderationis, vitandæque temeritatis obtẽtu, dum

vnam ex alia dubitationem procurat enaſci, perpetuis eum, omniq́ue carentibus exitu anxietatibus obuoluit, diemq́ue de die extrahens tantum efficit, vt, opportunitate dilapſa, in irritum omnis ſancta cogitatio diffluat. Huc denique ſpectat id aggredi, quod vel multiplicitate vel grauitate vires ſuperat; vnde fiat vt iniuſto ſub faſce oppreſſus concidas. Sed hæc & alia capitalis hoſtis machinamenta ſunt plurima.

Poſtremum hoc addo monitum; Aliud longè eſſe, cogitationem quampiam à Deo eſſe, vel dæmone: & ab eis eſſe cognoſci. Quamuis enim, quidquid à Deo eſt, admittendum, quod à dæmone, ſit exſecrandum: attamen quamdiu non conſtat, nihil præfeſtinandum eſt. Leuis corde eſt, qui citò credit: ſuntq́ue probandi ſpiritus num à Deo ſint. Interimq́ue dum periculum facis, ſuſtine aſſenſum, neutrò vehementior incumbe: gratum Deo eſt, quòd tuæ tibi ignorationis conſcius id pergas explorare, de quo nondum certus eſſe potuiſti. Vtrimque tantùm recîde quod in mora nimium eſt: ſeu breuior, ideoq; præcipitantior; ſeu longior, atque adeò timidior & ceſſatrix fuerit: quando malus auctor deprehenditur, tum verò deſpue, & in eum exardeſce; quando Deus auctor agnoſcitur, expande

Differunt à Deo vel dæmone eſſe, & eſſe cognoſci.

animum, magna mentis hilaritate te illi comite securus: nihil certius, quàm sequi Deum.

CAPVT XIX.

Quædam in vitæ institutis incommoda perpendenda.

Cur hæc proferantur. ETSI in superioribus est probatum, dubitationem eam, in qua de vitæ instituto suscipiendo controuertitur, diuinæ sapientiæ voce intus in animum delapsa, esse præcidendam: quia tamen id genus deliberandi spectamus, quod ratiocinando perficitur, ideoq; multa cognitionis luce indiget, soletque eiusdem Dei sapientiæ radius clariùs illucere, vbi pauciores ignorationis tenebræ fuerint; consultum videtur quędam de incommodis, commodis, ceteraque Statuum inter se comparatione, generatim recensere, vnde deliberantium ad inquirendum perspicacior, ad iudicandum firmior mentis acies reddatur.

Incommoda 7. Incommoda Statuum vitæ, commodè sanè ad 7. capita reuocauit de ingredienda Religione differens Lessius à numero 133. Igitur ex eo transferemus in rem nostram breuiter, quod vnusquisque certiùs perpendat, inquirendo, vtrumnam in eo, quo de agitur

agitur Statu, id incommodi reperiatur.

Primum incommodum est à sociis, qui fomitem malis præbeant. Nota res, & quanta secum damna importet notum: hinc enim optima, sed & plurima vitæ pars otiosa nobis perit; hinc omnis verborum obscœnitas, & scurrilis impudentia, benè agendi pudor, peccandi effrons audacia, in turpi facinore gloriatio, prodigi sumptus, duella, homicidia, rixæ, simultates, & in seros propaganda posteros odia: hinc denique vitiorum genus omne traducitur, virtus omnis quantumcumque robusta subruitur: quid enim? si præduros silices allambens mollis aqua sensim excauat, eritne vlla tam rigida virtus, quam longo vsu roboratæ prauè agentium consuetudinis alluuio non emolliat, emollitam non inflectat, inflexam non deprauet? Quot enumerare est, ebrietati, ganeis, luxuriæ deditos, & vitæ perditissimæ viros, quorum adolescentia modesta, verecunda, pietate & virtutibus illustris, optima omnia promittebat: at ecce dum secundo delati vento, huic prauæ societatis scopulo adhæsere, sensim mores imbibitos exuêre, alienos induêre, ac sæpenumerò, vt assolet rerum optimarum esse pessima corruptio, tantò aliis deteriores, & in vitiis obstinatiores euaserunt, quantò visi fuerant, in capessendo 1. Socij.

ſendo virtutis itinere prouectiores. Nemo vt ſuis viribus fidat, nemo credat, tam rapidum ſociorum torrentem poſſe ſe contrà nitendo enatare, nec mergi. Alienis te metiaris exemplis, periculis ſapere diſce. Aduerte, in bona, & ex Dei amore ſanctè coalita ſocietate, quantum ad ſalutem, & ad virtutis robur, pręſidij inſit & ſolatij!

2. *Opes.* Secundum in quopiam vitæ genere periculum ſunt opes: fallaces illæ, quæ diuinæ
Matth. 13.
Ibid. 19.
inſpirationis ſementem ſuffocant: illæ, quibuſcum non poteſt humanis viribus ad cęleſtia regna penetrari: illæ, quæ homines
1. Tim. 6.
mergunt in interitum, quæ deſideriis inutilibus & noxiis prægrauant, quæ in tentationem & laqueum diaboli irretiunt: *Radix enim omnium malorum cupiditas.* grauiúſne pronuntiari quidquam poteſt? Et ſunt hæc fide certa: & nemo diſſentire, niſi ſumma cum impietate, poteſt. quid ergo credimus, & non credimus? Atqui conſtat opum gratia vigere furta, rapinas, fraudes, homicidia, latrocinia, parricidia, ſacrilegia, periuria: ſummi Dei cultum & Religionem, pecuniæ & opum gratia temerari; ad hæreticos, Turcas, barbaros turpiſsimas defectiones fieri, agrorum vaſtatione, crudelitate inaudita, feritatem belluinam impia graſſatione bacchari: nec eſt vllum aut priuatim, aut

publicè

publicè tam enorme flagitium, quod non parturiat opum cupiditas. quidni ergo tam venenatæ, tamque numerosæ prolis parentes diuitias exsecremur?

Hæc autem tot & tanta progignunt, quia mentem curis opplentes, ac totam paulatim occupantes auertunt à salubriore cælestium & diuinorum cogitatione, & ad peritura demergunt: præterea ad quiduis malè audendum animos addunt, & facultatem ad exequendum præbent: quo fit vt acerrimum salutis hostem vicerit, qui se diuitiis exuit, & de victu vestituque securus, cupiditatis fibras omnes recîdit.

Tertium incommodum sunt voluptates corporis: è quibus fœda peccatorum colluuies, innumerabiles ruinæ, euentus tragici plurimi enascuntur. Impotens est, planeq; tyrannicus dominatus carnis, mentem deprimit, & excæcat, ac fœdis immersam volutabris cælestia contueri non patitur, vinctam premit, & importunis vrgentium cupiditatum stimulis, perpetuæ seruitutis iugũ excutere non sinit: salutari omni cogitatione despoliat, fœdis & impuris replet; sed neq; in his modum sibi aut terminum ponit, fœdiora succedunt, libidinis inextinguibilis flamma succenditur, nihil tam sceleratum, tam impium est, quod non ausit, vt insanien- *3. Voluptates.*

ſanienti luxuriæ morem gerat. O longè miſerrimam, è templo Dei, in proſtibulum dæmonis commutationem! Hac ſeruitute, his tot incommodis atque periculis ſola liberare poteſt caſtitas, quæ ſola mentem contagione corporis exemptam, Angelicæ dignitati reſtituit: ſi modum ponere, quàm omnem aditum negare malueris, næ multùm falleris; guſtatione voluptas irritatur, opprimiturque faciliùs quàm reprimitur; quò minus ei dederis, eò magis obnoxia conticeſcet.

4. Honoris cupiditas. Quartum eſt cupiditas honoris, laudis, gloriæ, dignitatis, & amplitudinis maioris. Quæ cupiditas homini, quem ſemel occuparit, mirè dominatur; nihil non audet, inſaniæ, quàm vllius alterius rei, ſimilior. Vbi viget, immenſas malorum parit iliadas, aſtum, dolum, ſimulationem, diſſenſionem, inimicitias, odia, æmulationem, inuidiam, vindictam, bella, rapinas, homicidia, hæreſes, blaſphemias, Dei ſalutiſque contéptum. Videas leuiſſimi dicti, perſtricti honoris gratia, vitam, opes, animam pro nihilo ducentes, id vnum toto impetu conantes, vt quauis iactura, quantocumque damno, honori medeantur ſuo. Atqui his patent incommodis illi Status, in quibus vnicuique famæ & honoris ſui incumbit cura: quæ nonnum-

numquam tam implexa est, vt quà possis, Deo nõ offenso, euadere, vix reperiri queat. Beati, qui ambitionem omnem à se suoque statu depulerunt! Beati, qui suæ existimationis curam omnem obedientia & humilitate superare nituntur!

Quintum ad salutem impedimentum est, iudicij nimia pertinacitas, quæ sibi præfidentes facit, se præ ceteris suspicit, suis adinuentis nimiopere adblanditur, aliena, & maximè quæ ab æmulis, deprimit, & contemptim eludit, suis quantumcumque deterioribus adhærescit potiùs quàm alterius meliora sectetur, deniq; reprehensiones & monita probro ducens, in malè cœptis mẽtem obstinat. Hoc fonte manant & prorogantur hæreses; hoc obdurantur in flagitiis animi, ęternamque trahunt ruinam; hoc priuatim publiceq; omnibus propè, seu erroribus, seu peccatis causa præbetur: vix enim aliunde, vel optimè cœpta dissipantur, vel pessimè multa inchoantur, vel in graues calamitates inciditur, vel sceleribus mens inquinatur, quàm quòd melioribus consiliis neglectis, prauè semel iudicatis adhærescitur, nec altiùs in animum morigerum saniora monita demittuntur. At verò, ibi viuere, vbi alieno regaris iudicio, & quidem eò quòd veluti cælitus demissum suscipere debeas, 5. *Iudicij pertinacitas.*

debeas, mirè ad ſecuritatem, ſed & æternæ coronæ amplitudinem valet: quippe nec in obtemperando peccatum admitti poteſt, nec eſt quod maius Deo offeras, quàm iudicij libertatem.

6. Libertatis amor. Sextum, & ſuperiori planè cognatum, eſt amor libertatis, ſeu, vt paſſim loquimur, propriæ voluntatis: hinc enim omne omnino peccatum originem ducit. Recta ratio iuſtis voluntatem terminis coërcet; at iſta effrænem nullo limite vagari ſinit, cupiditatibus obſequi ſuadet, licitumque id omne credere, vel etiam audere quod lubet. Et ſanè ſi voluntatem ad illicita ruentem refrænas, nihil mali; ſi non refrænas, quiduis mali admittetur: veriſsimè vt dixerit, quicumque dixit, Propriam tolle voluntatem, & infernum ſuſtuliſti. *Propria voluntas*, ait S. Laurentius Iuſtinianus, *eſt peccatorũ origo, criminum fomes, & omnium malorum incentiuum. nemo ſine hac corruit, nullus cum ipſa ſtetit.* Quid igitur ſalubrius, quàm abs eius contagione ſecedere, quę & quarumuis grauiſſimarum ruinarum eſt cauſa, & perennem peccato inferniique ignibus fomitem miniſtrat. Non potes autem vel longiùs abſcedere, vel ad tutiora confugere, quàm ſi te alieno iuri ſubdendo, regalem Deo ſeruias ſeruitutem.

Bernard. Serm. 3. de Reſurr.

Lib. de Ligno vitæ, cap. 1. de Obedientia.

Septi-

Septimum est, istic vitam degere, vbi ventri & ingluuiei seruitur: infame vitium, porcorumque, non hominum; quo tamen qui se vinci teneriq; sinunt, ita sopiuntur, vix vt vmquam crapulam suam edormire, & ad saniorem mentem euigilare posint, ebrietatis crassis nebulis obuolutus animus iacet, abdominis pingui succo immersus torpet, quidquid inclames, excitari veterno nequit, honoris, opum, familiæ, coniugis, liberorum, præ gula sua contemptor, valetudinis, imò & vitæ quæ nunc est & futuræ prodigus. Mirum equidem, atq; vtinam minùs verum, locis ijs vbi viget hoc vitium, vix abire dies pauculos, quin luctuosissimi hinc euentus emergant, nec tamen, quod etiam mirius est, inde minùs insaniunt: tanta est, si vmquam inualuerit, huius vitij impotentia. *7. Gula vitium.*

At, inquis, hæc pericula non pauci subeunt & superant innocui; quidni & ego superem? Sunt, fateor, at præ illorum qui superantur multitudine, longè paucissimi: tu vide, an prudentiùs te paucorum, quàm plurimorum, in eadem causa similem facias. Ita solet blandior & lenior sensus allicere, at mox vbi vires ceperit, mediaque in pericula merserit, vrgere, præcipitare, cogere: grauissimis quibusque lapsibus leuiora pretexuntur initia. *Sed sunt qui hæc euadant.*

L Certum

Certum eſt, id vitæ genus minùs optandum,quod pluribus patet incommodis: vbi tamen ſi conando, nitendo, credis te ſaluti facere ſatis poſſe, quantò faciliùs & meliùs id poſſes, præſtantiora & à periculis remotiora ſi ſectatus eſſes? Sed ſatis de incommodis dictum ſit.

CAPVT XX.

Quædam Statuum commoda.

Tria commodorum genera.

TRIA ſunt,quæ ſui vtilitate,honeſtate, amabilitate, vitæ inſtitutum præcipuè commendant,& ad ſe melioris indolis adoleſcentes crebriùs illiciunt,Si nempe fecundiorem ęternæ gloriæ ſegetem parere, Si ad virorum ſanctitate illuſtrium vel etiam Domini noſtri IESV CHRISTI imitationem propiùs accedere, Si diuinis beneficiis digniorem gratitudinis vicem rependere videtur. Sed hæc hodie nemini non dicta ſunt,paucis ergo perſtringam.

Vbertas meritorũ.

Vberior æternæ gloriæ ſeges prouenit, vbi plura & præſtantiora ſunt remedia ad extirpanda,quæ modò recenſui, ſalutis impedimenta, quaſi filices & vrticas, animæ noſtræ agrum ſterileſcere cogentes: vbi etiam plura ſunt, quæ ad virtutem & perfectionem faciliores aditus prębeant, ceſſantes

tes vrgeant, tardantes instigent, currentes animent, in eoque quod rectum est roborent, & semper ad excelsiora promoueant. Sed ad hos fontes non adibo quidem, digito commonstrasse contentus: eos videbit qui vocatur, ei qui non vocatur nihil decedet, si neque peruideat.

Enumeratio eorum quæ id conciliant.

Eiusmodi erit id institutum, in quo perpaucæ peccandi sunt occasiones, curæ & solicitudinis perparum, contentiones & perturbationes nullæ: vigilantiæ, ne quid irrepat, plurimum: quies multa, multa tranquillitas, crebri ad virtutem stimuli, exempla benè gestorum frequentia, præcipuarumque virtutum exercitatio asidua, vt charitatis, humilitatis, obedientiæ, zeli animarum, & id genus aliarum: Sacramentorum quasi gratiæ fontium crebrior vsurpatio: oratio & meditatio totum ipsum hominem ritè componens: rerum quas vocamus spiritualium diligens tractatio, lectio pia, conscientiæ disquisitio, coërcitio affectuum; sobrietas in victu, seueritas in grauiter peccantes, in alios clemens & prouida benignitas: denique paterna & auctoritatis plena Superiorum rectio, quam cæli ianuam, iamque occupatam salutis arcem nuncupare possumus: quis enim auditus vmquam, cui malè cesserit obedientia?

 hanc

hanc felicitat, hanc vbique victricem reddere amat Deus. Ceterùm vix credi potest, quàm fecunda coronarum sint hæc pauca quæ protuli: si expenderis, agnosces.

Sanctorum imitatio.

De Sanctorum imitatione quid attinet dicere? ipsa se prodit, & quò feratur patet. quid illi sectati sunt? eorúmne vitæ institutorum quæ ad licentiam, voluptates, gloriam; an eorum quæ ad obedientiam, seueritatem, humilitatem ducunt, vel auctores, vel sectatores fuerunt? Cuiuspiam illorum personam indue, affectus persentiscere satage, sincereq; iudica, idémne quod te, illum quoque remoraretur, eadémne magni faceret, & quis esset sensus animi? Tum verò nihil addubites, quin si certa Sanctorum vestigia presseris, viam eamdem triueris, ad eumdem quoque perbeatum finem sis peruenturus. Et verò, quis non omni imitatione dignam vitam censuerit eorum, quos perpetuo honore prosequimur, meritissimis laudibus ornamus, & precibus piè fusis fatigamus? de quibus solis cùm constet, æternitatis beatum portum tenere; de solis quoq; videtur constare viam eam ingressos esse, quæ nullo deuio calle àd beatam perennitatem duceret. At eorum vitam æmulari quorum perhorrescimus exitum, quis non extremæ putet esse dementiæ?

De Domino IESV CHRISTO longum esset dicere: patet eius vita: quid secutus sit constat: quò vocauerit suos, quæ dederit exempla, nemo non intelligit. Hæc excute, & cura, vt quorum in æternum similior esse malueris, eorum ex hoc nunc vitæ similitudinem induas. Tempore dilapso, inanes & infrugiferas fundes querelas: nunc quod instat, quod futurum & profuturum est prouide. *Imitatio IESV.*

Sed nihil est, quod honesti amantes animos magis in officio contineat, magisque rerum optimarum cupiditate incendat, atque ad præstantiora exstimulet, quàm diuinæ, eiusdemque profusissimæ in vilissimos & nihili homunciones, liberalitatis grata recordatio. Certè, sine hac liberalitate quàm iacebimus omnium rerum egeni, gratiæ vacui, indigi bonorum, quæ abs vno nobis diuinæ largitatis fonte dimanant? At ingratitudo, ventus est, diuinæ gratię fluenta desiccans; quemadmodum gratitudo virtus est, eiusdem gratiæ plenos torrentes euocans. Ergo, si benè nobis fieri optamus, diuinam beneficentiam gratitudine prouocemus: prouocamus, si ei, cui nos totos nostraque omnia debemus, nos quoque totos nostraque omnia, quo meliore modo possumus, redhiberę conamur. Sic igitur, potis- *Gratitudo in Deum,*

ſima quædam beneficia recenſendo, ſecum quiſque ratiocinari poteſt:

Creatorem, Deo meo, in meæ rerumque omnium creationis vicem, quid rependam? En mihi meum corpus, membra, ſenſus, animum, facultates, memoriam, intellectum, voluntatem dedit; dedit cælum, terram, mare, & quidquid cęli ambitu continetur: ipſos quoque cęli principes, & primogenitos Dei filios Angelos dedit, & his omnibus, velut recta docētibus & ducentibus, vti poſſum. Tot & tanta dedit Deus, cuius ego, velim nolim, totus ſum: quidni me, quidni omnia illi reddo: ſed quo in vitę genere perfectiùs?

Conſeruatorem, Quouis temporis momento, noctu diúque, eadem conſeruando, eadem dona toties continua Dei beneficentia redonat, neque peccata, neque ingratus meus animus ab eis cōſeruandis impediunt. O grandem in liberalitate patientiam! vbinam æmulabor, & me conſeruatori Deo, noctes dieſque obſequentem conſeruabo?

Premiatorem, En etiam immenſa & æterna regni ſui præmia pollicetur. Quàm obnoxiè, leuiſſimæ ſpei gratia, ſeruitur Regibus! Regi gloriæ, in hereditatis ampliſſimæ ſpem certam, vbi me ſanctiùs & certiùs dicabo?

Redemptorem, Sed quid Redemptoris titulo reponam? Rex ęternus, immenſus, dolorum immunis,

omnium

omnium diues bonorum, Deus immortalis, in mei gratiam hominem induit, & cum homine paupertatem, egestatem, infirmitatem, dolores, opprobria pertulit, cruciatus exhausit, sanguinem profudit, vitam & animam, diuinam inquam illam animam peccatis meis expiandis immolauit. Ah si me tibi, Deus amantissime, immolare, si vspiam in sacrum holocaustum possim amoris igne cinerare!

Quantum & illud est, quod mihi Deus meus cibus esse dignatur! Tantíne in cuiusquam mentem veniat amoris excogitatio? en quàm se totum, sanguinem, corpus, animam, idque toties, tamque patienter, donat ingratis. Erítne vbi me totum, & integerrimè, ad omnem eius voluntatem tradam? *Nutritori,*

Beneficijs tuis tot & tam multiplicibus, tamque magnis impar sum, Deus optime, quid iam de Baptismi gratia, fidei puritate, cognitione tui, adoptione filiorum, sanctis inspirationibus, præsidiis, opportunitatibus, indulgentia, dissimulatione peccatorum, & alijs plurimis dicam? tuus sum, tuus semper perstare volo; quidquid meum est, tuum est; imò nihil meum est, tuum enim est id omne quod est, & quod tuum non est, nihil est. Quàm iustè, qui tibi, veræ vitæ, non adhæret, æternæ mortis cruciatibus *Variè beneficum.*

addicetur! quàm iustè, qui nobilem & amabilem tuam seruitutem detrectat, infami & sæuissima dæmonis tyrannide premetur! Ergo ad te Domine IESV respiciam, trahe, voca, consule: vbicumque malueris, ibi viuam, sequar, perdurabo volens & libens: absit, vt quidquam Deo meo negem, qui neque bonorum suorum, neque suiipsius mihi quidquam negat.

CAPVT XXI.

Quædam in Statuum incommodis & commodis obseruanda.

Iudicandū à fine.

QVANDOCVMQVE in expendendo vitæ genere eò peruentum est, vt de commodis quæratur, est hæc diiudicatio ad normam aliarum reducenda, in quibus cùm de aptitudine vel habilitate dubitatur, ad finem recurritur, & id aptius pronuntiatur, quod ad finis consecutionem magis conducit: commodius est equitem quàm peditem iter facere, si faciliùs, citiùs, tutiùs finem viæ propositum consequeris: at profectioni incommodat, quidquid difficiliorem, periculosiorem, tardiorem peruentionem facit. Eodémque planè modo, cùm hæc nostra vita sit ad æternitatem continua quædam itio, & vitæ genera diuersa, sint instar

inſtar diuerſarum viarum; illa erunt commodiora, quæ pluribus ad beatam ęternitatem capeſſendam opportunitatibus abundant; illa verò incommodiora, quæ plura pericula, grauiores remoras, denſiores obices, ſurſum tendentibus proferunt.

Non tamen præpropere. Sed cauendum, ne ad primum cuiuſpiam commodi vel incommodi proſpectum, de re tota præproperè definiamus. *Quædam ſingulis inſunt bona.* Quippe in rebus omnibus id paſsim compertiſsimum eſt, habere ſingulas, etiam viliſsimas, quamdam ſuam proprietatem, quæ in alia re præſtantiore non reperiatur: & licet magni facienda ſit, non ita tamen vt propterea ſit alteri præferenda, vel etiam magnoperè laudanda, cùm & miſceri poſsint mala grauia vnde deprimatur, & res aliæ poſsint pluribus & præſtantioribus, licet non iiſdem, abundare. Bonus eſt qui ceraſorum feraciſſimus eſt hortus: at ſi tantùm horum, profectò melior qui pomorum, & frumenti, & olearum, viniq́ue eſt ferax. Idem obſeruare licet in variis vitę generibus: quidpiam ineſt ſingulis quod bonum ſit, magiſque in vno quàm alio, vel etiam in vno elucet, quod non in alio.

Omnia aggreganda. Vt ergo prudenter iudicetur, aggreganda ſunt vnius Status omnia commoda pariter & incommoda, tum ſimiliter alterius de

quo contenditur; & animaduerſo eo qui pluribus & maioribus bonis abundet, is eſt alteri præferendus.

Sed verè. Verùm in enumeratione bonorum & malorum, diligenter animaduertendum, an verè bona & verè mala ſint, quæ neque ſupra neque infra iuſtam æſtimationem reponantur. Bona eſt actio, bona contemplatio, bona corporis caſtigatio, bona mentis per obedientiam refrænatio; at vtræque non ex æquo bonæ; bona eſt diuitiarum in pauperes largitio, at melior earum propter Deum abdicatio: bona liberorum diligens educatio, melior tamen caſtitatis Angelorum imitatio: ſunt enim, & in virtutibus, & in eadem virtute gradus plurimi.

Quàm firmè inſint. Diſpiciendum quoque eſt, quàm firmè vel infirmè ſtabilita ſint, quæ cenſentur in quopiam Statu bona: præſtantiora quippe ſunt, quæ ſunt benè fixa, quàm quæ nutant. Exempli gratia, Quærendū quæ ſint amoris & concordiæ firmamenta. hæc in Religione proba reperientur, eadem Profeſsio, Regula, diſciplina, habitatio, rerum communio, mortificatio, voluntatis abnegatio, honorum commodorumque contemptio, idem finis, eadem gubernatio, Superiores iidem: quod hanc beneuolentiam conuellat,

lat,ſola eſt hominum natiua imbecillitas,& in bono inconſtantia.

At verò in matrimonio eamdem amicitiam conciliant, nexus coniugalis, ius tribuens in corpora, conuictus,familiaritas, & rerum quæ ad familiam cura communis: eam tamen plurima labefactant,nam & ille ipſe nexus tam inſolubilis, & ſingularis, faſtidium & multa ingrata parit; cura quoque familiæ, contentiones, rixas, iudicia diſſonantia progignit ,. interueniunt non pauca ex diuerſitate naturæ, timore, zelotypia, ſuſpicionibus, damnis, litibus, rebus aduerſis, bonorum & redituum conditione & diuiſione, liberis, cognatis, affinibus, amicis, morbis, morte, hereditatibus, & aliis haud paucis; rariſsima vt ſit conſtans concordia.

Quod dixi de commodis, idem de incommodis & malo Statuum videndum eſt. *Eadem in incommodis.* nempe mala iſta quàm grauia ſint, & an verè formidanda: vndenam & an ex propria Status illius conditione, an tantùm ex hominis defectu. Si enim hinc, ſupplendum quod deeſt; ſi ab ipſa Status natura, valdè periculoſum eſt. Item, vndenam malum iſtud oriatur, vnde foueatur, vnde vires ſumat, qua faciliore via ſuperari queat: Prudenterque quid facto ſit opus diiudicandū

eſt.

est. Non est tamen anxiè nimiùm hærendum ad singula, & de minutulis inquirendum.

Vulgaris regula. Poterit hîc satis esse, si sensum communi non malè iudicantium opinione confirmatum consulamus: quærendo à nobis ipsis, Vbinam mei similes, tutiùs & optatiùs, ad æternam gloriam peruenire censentur? De quo tamen infrà suus erit aptior dicendi locus. Cap. 23.

Mixta sunt securitas & periculum. Nihilominùs id constat, nullum esse ita securum Statum, quin vni cuipiam homini periculosior esse possit, quia multa & varia possunt euenire, quæ illum siue casu, siue ex adiuncto, molestiorem reddant. Erit cuius mores tantopere exasperentur, vel animus tam graui & inuoluntario tædio opprimatur, vt id superare, supra hominem esse videatur: erit qui obstinatis odiis, & præpotenti malitia eos insectetur qui aliquod vitæ genus factitant. dum viget hoc malum, quàm arduum est, sese intra virtutis limites coërcere? Contrà vix est ita periculosus, minorisque apud Deum promeriti, quin maioris fieri, & securior esse cuipiam possit, quando scilicet virtus, & diuina gratia, ad illius salutem, maioresque in eo Statu processus conspirant. Ita S. Ludouicus, in regni gloria humilis, S. Cæcilia, &

S. Ana-

S. Anastasia in matrimonio puræ virgines, & illustres martyres floruerunt. Sed hîc Deus est vel maximè consulendus.

CAPVT XXII.

De Statuum inter se contentione.

EXTREMA hîc est huic negotio manus admouenda, quod sanè arduum est, operæque, ni Deus adfuerit, inexhaustæ. Proferam quæ iuuent, & ad inuolucra explicanda non parum conferant, vniuersè tamen, adeoque sinceritatis & veritatis memor, vt nusquam ad vllius vitę Statum procliuem, sed ad solam notitiam instruendam, & præcauendos deliberantis errores.

Maximè anceps, & præ ceteris molesta ea solet esse controuersia, in qua, cùm de vitæ genere subeundo multum diuque disceptatum fuerit, ad pauca quædam, & ea perfecta atque religiosa complectenda se redactum quis videt, & iam alia fastidiens, quod horum sibi potiùs eligat, ægrè videt. Ita reperies qui postquam vitæ liberæ valedicere decreuerint, hîc tamen hærent, quónam se conferre conducat? ad Carthusianos, Carmelitas, Franciscanos, Societatem IESV (quam licet minimam, magnis tamen illis, nobilibusque familiis, nonnullorum accen- *Anceps quæstio.*

accenset affectus) an ad quampiam aliam, Benedictinam, Bernardinam, & ceteras quas enumerare nil refert. Hæ, licet plurimæ, & suis pænè locis variè florentes reperiantur: fermè tamen, quoties ad hanc deuenitur contentionem, ad duo tantùm triáve vitæ genera arctari solent. Estque diiudicatio eò difficilior, quò obscuriora sunt vitæ instituta, & illos assidere iudices necesse est, qui in tota rerum spiritus tractatione, nondum ad tyrocinia prima venerunt.

Quid viri docti. Sunt, & quidem non infimæ notæ, Auctores plures, qui in admodum diuersa feruntur, dum hac dubitatione ita se nituntur extricare, vt velint quænam sit vitæ ratio perfectior definire, eamque seligendam persuadere, quam perfectiorem esse constiterit. *Cur eos non sequar.* Quam diiudicandi viam incertam prorsus, & inutilem esse compertum mihi est. Etenim, vt dicam posteà dilucidiùs, non quæcumque perfectissima, eadem & conuenientissima sunt. Sed & doctissimorum virorum de actione, contemplatione, & mixtæ vitæ dissertationes, ad hanc rem definiendam, & de vno quoque Statu pronuntiandum licet veras, non tamen solas adhibendas putem: vsus ipse, & intima regularum spiritus, gubernationis, & consuetudi-

tudinum vſurpatio deguſtanda: quæ libris deſcribuntur leges, quæ foris oſtentantur animi ſolatia, quæ inſtituti ſui laudes plenis buccis concrepantur, haud magni duco. Eo ſumus ingenio homines, vt quamuis eorum quę factitamus tędium obrepſerit, propensè tamen laudemus. Quo fit, vt obſcuram admodum, diuinoque iudicio ſeruandam putem, de Statuum, vt reverà exercentur, perfectione contentionem. Accedit, eodem in vitę genere, latiſſimum quo excurras, perfectionis eſſe campum, vt magis quid ipſe ſis, quàm vbi ſis, videndum ſit. *Quid ſis potiùs quàm vbi ſis attende.* Equidem licet eum in quo dego, mihi aptiſſimum vitę Statum ſentiam, neque vllo altero commutatum velim, eodemque modo quemuis aliorum Religioſorum affectum eſſe debere putem; nihil tamen ambigo, quin & mihi & cuiuis alteri melius foret, in Benedictina quapiam familia, ad S. Benedicti ſanctimoniam pertigiſſe, quàm in hac mea pigritantem, non excelſius aſſurgere. At numquid in illa ſi degerem, perfectior euaderem? certè cur id eſſet non video, video potiùs cur minùs eſſet; non rei longè optimæ, & in quâ vixêre meliores, ſed meo vnius vitio, vt qui ad illam minùs opportunus, in eaque minùs fortis eſſem futurus.

Atqui

In omni statu sunt dispares.

Atqui id ipſum, de aliorum Statuum ſingulis cùm dici poſſit (quis enim ille eſt in quo non effloruerit quiſpiam, multis qui in alio Statu vixere, præſtantior?) ergóne vel æquandi omnes, vel ęquáliter conuenire cenſendi? Æquari non poſſe certum eſt, cùm ſatis conſtet, quanta ſit imparitas quorumdam, & in tanta tot muniorum, victus, & rerum varietate, quantam intercedere videmus, æquata vlla compenſatio, vix mente, nedum rebus poſſit effingi. Atque hinc alterum quoque ſequitur, vt tam diuerſis hominum naturis, Status vſque adeò diſſonantes, non ex æquo quadrare poſſint. Erit autem optabilior ille, ſi reperiri eiuſmodi poterit, qui recta æſtimatione videbitur ad naturam futurus aptior, ad perſeuerantiam certior, vberior ad gloriam. Ergo controuerſis omiſſis, certiora & planiora ſectemur.

Fundatores sunt eximij.

Ac primò, extra omnem dubitationem ſit, eos omnes qui cuiuſpiam in Eccleſia probati Religioſi Ordinis inſtitutores auctoreſque primi fuere, viros extitiſſe ſingulari vitæ ſanctimonia præditos, certaque ſancti Spiritus deſtinatione, ad excitandam atque propagandam iſtiuſmodi familiam, aptis gratiæ donis inſtructos, quibus id vitæ genus, quod in ipſorum mente Deus efformaſſet,

maſſet, ſuis legibus deſcriberent, Eccleſiæ comprobarent, moribus vſuque confirmarent.

Quo fit vt Religioſorum Inſtitutorum parentes, & ipſa quoque Inſtituta ſingula, ſummam à nobis venerationem exigant; & licet non poſſimus omnia ſuſcipere, omnia tamen plurimùm ſuſpicere debeamus, ea maximè quæ primam ab Auctore primo inditam formam, inuariatam etiamnum ſeruant: ſic enim certius eſt, nihil eis niſi à ſancto Spiritu ineſſe, & Sanctos eos qui prima initia dederunt, fauentiore oculo id intueri, quod merè ſuum vident.

Itaque & ipſi & Inſtituta veneranda.

Maximè primigenia.

Secundò, Diſpice quæ in illis, de quibus controuertitur, vitæ inſtitutis occupationes vigeant, & vbinam maior earum varietas reperiatur. Non quòd illud ſuadeam eligendum, vbi operarum paucitas, cogit vt ſinguli nimia occupationum multitudine opprimantur: alienum iſtud eſt, & virtutum progreſſui inimicum: ſed illud præfero in quo multa & varia, ſanctarum, & Religioſos decentium, ſunt occupationum genera; illæ verò partitè prouideque per ſingulos ad cuiuſque naturam ita diuiduntur, vt in quo occupentur habeant, neq; tamen curis nimiis aut angoribus fatigatæ mentis ad ſuperna volatus retundatur. Hanc verò

Quæ Inſtituti occupationes.

rerum agendarum veritatem propterea plurimi facio,quòd paucorum ſit,abſque alternatione vel perpetuò vna in contemplatione hærere, vel vno in occupationis genere cum alacritate verſari; obrepit tædium, noua reſpectâtur, flacceſcit animus, faſtidiuntur prȩſentia, religioſus omnis vigor elangueſcit, fit denique Chriſti iugum importabile. Taceo quòd adoleſcentibus, quibus ſuæ adhuc vires inexploratæ, plurimùm expedit Religionem amplecti,in qua multa ſit iſta varietas, quòd non raro videamus quaſdam in quodpiam rerum genus habilitates erumpere, de quibus nihil nobis in mentem veniſſet,ſed vſus, ſed occaſio, ſed ætas, ac interim caſus quidam, eas extuderunt: iacuiſſent ignotæ,id ſi genus vitæ ſuſcepiſſemus, vbi earum exercendarum opportunitas defuiſſet.

Vbinam aptiores operæ?

Tertiò, Animaduerte, quodnam iſtorum, quæ inter ſe confers, Inſtitutorum plus diligentiæ atque vigilantiæ adhibeat, vt ſuos muniis ad quæ deſtinantur aptiores reddat. Hoc verò non ægrè iudicabis, ſi tantùm aduerteris, quorumnam dicta, conſilia, ſententiæ certiores, & pluris habeantur. Nec enim ſatis eſt, feruido mentis impetu, multa dicendo permiſcere, ſed reverà, Deo iudice, quàm rectè officio

noſtro

noſtro functi fuerimus, aliquando quęretur. Spiritui feruoris, ſpiritus erroris illudit; prudentia neceſſaria eſt, eruditio, atque doctrina cùm res alienas tractas, aut conſilium præbes, & videndum vt cùm aliis cauere deſideras, eos in mala ne induas; & cùm vtilia conſulis, viam vtilem duraturamque commóſtres, nec iis exponas periculis, quibus (quod non raró accidit) fiant eius hominis nouiſsima deteriora prioribus. Firmare dicta, in futurum confirmare, non eſt temerarij cuiuſcumque.

Quartò, Cùm S. Bonauentura dixiſſet, Religionem vnam alteri quapiam in re, ſed & hanc illi alia in re præſtare, vt labore, ſilentio, ieiuniis, & aliis id genus: addit denique, Illam tamen alteri vniuersè præſtare, in qua vt plurimùm Religioſi ſæpiùs ac feruidiùs virtutibus exercentur, ac potiſſimè charitate, & humilitate: vbi vitia, ſcandala, libertas, peccata odio habentur, reſecantur, euelluntur; vbi boni promouentur, & magni fiunt; mali negliguntur, & ad poſtrema repelluntur. Nec enim, vt alio loco ſcripſit idem, luxatæ Religiones à vigentibus, hoc diſtinguuntur, quòd in his nulli ſint mali, ſed quòd neque impunè ſint, neque ferantur. Hoc tuum eſt (quamquam non hinc te cęteris pręfero, ſed in te tamen

Vbinam mala minùs ferantur.

In determ. qq. cir. Reg. q. 18.

Lib. de 6. alis.

hoc plurimùm diligo) tuum, ô Societas IESV, priuilegium singulare, quòd liberè resecare, & putrescentia membra potes abdicare: sibi res suas habeant, qui tuas vt decet habere fastidiunt. O cautionem salutarem, amuletum præstantissimum, tranquillitatis, charitatis, primique nitoris firmissimam tutelam! attamen ea est, quam inexperti formidant, amant & suspiciunt experti.

Votorum obseruatio qua. Quæst. 4. num. 53.

Quintum ex Lessio desumamus, qui docet hîc animaduertendum, An vota Religiosa perfectè obseruentur, & non irrepserit quiddam, quod obscuriore illorũ splendorem caligine obnubilet. Itaque hîc inquiras, cuiusmodi vigeat paupertatis exercitatio, sintne multa superflua; in dando, accipiendo, petendo magna libertas, possitne quidpiam sibi, seu domi, seu foris ad vsum asseruari: castitati an quidpiam noretur aduersum: an æqua & ampla sit Superiori in suos omnes potestas: quæ vigeat, quàm constans, moderata, & non affectata modestia? quæ animorum in eadem Religiosa familia concordia: quanta membrorum inter se, quanta cum capite coniunctio.

Plura vel obscuriora vel subtiliora, ijdem Auctores proferunt; hęc pręsentioris, vt opinor, vtilitatis elegi, quibus quæ hoc & proxi-

proximo Capite dicuntur ſi iunxeris, crediderim id cuiuis ſat eſſe poſſe.

At enim in eis quæ diximus, valdè animaduertendum eſt, Id vitæ genus quod perfectius eſſe conſtiterit, non continuò propter illam perfectionem eligendũ eſſe. *Perfectiùs & conuenientiùs interdum diuerſa.* Id autem perſpicuum vel hinc redditur, quòd cùm conſtet, Religioſam vitam præſtare communi, neque tamen decet, neque à quouis Religioſum ſtatum deligi expedit. Sed neque quoſlibet Religioſos cuilibet Religioni aptos eſſe conſtat: plus dicam, fieri etiam poteſt, vt quæ Religio ſuarum legum deſcriptione, totaque Inſtituti conformatione perfectior eſt, alteri tamen, quæ ſuapte natura imperfectior eſſet, multò ſit inferior, & minoris ducenda, nec tantopere eſt Inſtitutoris perfectio, vel perfectionis excogitatio, quàm is qui reverà exſtat perfectionis vſus æſtimandus. Deſcriptas ciuitati vel Regno leges eſſe pręſtãtiſſimas quid iuuat, ſi vel earum iacet obſeruatio, vel mox conuellendæ videntur? At plurimi faciendum eſt, ſi & accuratiſſimè ſeruantur, & vix apparet vnde vel priuatim à ſingulis, vel vniuersè ab omnibus, aut pluribus, conuelli queant, cuiuſmodi eſſe ſolent leges illæ, quæ ad naturam humanam magis accommodæ ſunt, aut ſal-

tem quarum obſeruationi procurandæ, vel vnus vel pauci Optimates cum auctoritate incumbunt. Cùm etenim communi omnium conſenſu conſtet, neque violentum vllum eſſe ſolere diuturnum, perfectionemque eſſe paucorum, non poteſt in æuum longius, id vitæ Inſtitutum primo in vigore propagari, quod & ab humanæ vitæ rationibus longiùs recedit, & à multorum æquatis auctoritate ſuffragijs pendet.

Hæc tu ſic prudenter expende, vt quod in rem tuam eſt exquiras, nec in iudicandi temeritatem incidas.

CAPVT XXIII.

Affinia quædam, quæ ad Statuum diſcrimen & electionem faciant.

Statuum difficultates.

SOLENT in diuerſis vitæ generibus, quędam ad ſuperandum difficilia occurrere, quæ proinde ab eorumdem ſuſceptione deterrent, perſpicuitatis gratia, Statuum difficultates vocabo: ſuntque hîc enucleandæ, ne vel hinc in electionem error irrepat.

Animi & Corporis.

Primum earum genus eſt quæ animi, alterum earum quæ corporis ſunt. Animi voco, quaſcumque, quæ aliunde quàm ex ſola virium imbecillitate, quæ merè eſt corporis. Sed & eas quæ animi, bifariàm diuido,

deque

deque singulis ordine pauca commendo. Prior est, quam arduitatem, siue celsitatem virtutum, in eo vitæ genere necessariarum, nuncupare possumus, & in quolibet vitæ Instituto reperitur; omnis enim virtus in arduo est: plures tamen & celsiores in quopiam, quàm in alio requiruntur. Et quicumque destinato & recto animi proposito, perfectius aliquod vitæ Institutum amplectitur, is ad excelsiorum virtutum fastigia adspirare cẽsetur; sin verò ad tam eximiam honesti formam nondum animos extulit, etiam ad omnem eiusmodi vitæ suscipiendæ cogitationem protinus contrahetur, cohorrescet, expauescet. Sed animis, animis est opus, magnaq; in Deum fiducia, & continuò prona se dabunt omnia. Quapropter, si verè & vt decet ratiocinamur, hinc non absterreri, sed magis ad eiusmodi vitæ Instituta allici conuenit: semper enim ad sursum nitendum, virtutemq; comparandam diuina nobis eaque copiosa subsidia præstò sunt: nemo est qui virtutis, (cuius tunc lege teneatur) exercitium suo vitio omittat, & peccet, quin in id culpæ, sua voluntate sit lapsus, cùm obsistere, peccatoque non consentire potuisset. Vnde conficitur, quemuis qui in castitatem, obedientiam, paupertatem, humilitatem, charitatem, tempe-

Arduitas.

Magno animo superatur.

rantiam peccat, potuisse non peccare, sed sua solius voluntate peccasse, nec ijs vti voluisse, quibus cauere sibi, & longius vitium omne amoliri poterat. Deus igitur, quod ingentis vim habet solatij, quouis in Instituto vitæ non desinit ea gratiæ adiumenta sufficere, quæ ad necessarias in eo Statu virtutes (si tamen ad illum Statum vocauerit) non deperdendas exiguntur: quo fit vt quiuis certò sumere possit, posse se, si modò firmè velit, & ad id vitæ genus vocetur, castè viuere, facultates omnes omnemq; earum cupiditatem abdicare, vitam alienis imperijs degere, in aliorum societate pacatè viuere, & ad celsiores quasque Status illius virtutes participandas pro suo modulo peruenire. Hoc autem quamuis ita vniuersè de omnibus dicatur, tamen videndum superest, quinam Status faciliorem, aptiorem, certiorem eò pertingendi viam suis muniant. Fatendum quoque, habendam aliquando esse rationem naturæ, nimium quantum abs alicuius rei obseruatione abhorrentis, ita comperi is qui suis rationibus adfixi, socialem vitam non ferunt, vel tam sunt impatientes parendi, vt suis sibi legibus relinquendi sint, vel istiusmodi aliquos in partem alteram impetus tam vehementes sortiti sunt, vt eos perpetuò comprimere,

Cauendum ne nimis diffideat natura.

supra

ſupra hominem eſſe videatur: ideoq; conſultiùs fuerit, in plano ſecuros eſſe, quàm ad altiora & prærupta tendentes deuolui in præceps.

Aliud quod extimeſcas difficultatum ſpiritualium genus eſt, quando in aliquo vitæ Statu quædam obſeruantur, quæ ſalutem æternam in diſcrimen vocant, & vigorem animi ſurſum adſpirantis retardant. Eiuſmodi ſunt, in vita communi libertas, exempla & praua conſortia, ambitio, & alia plurima, de quibus Cap. 19. Quorum ſi quę in Religioſa vita veſtigia reperirentur, vt laxatis Regulis, cupiditate domináte, ambitione non repreſſa, virtutum neglectu, vitiiſque aliis pluribus impunè regnátibus, tum ſanè eſt quod reformides, tuamque fragilem ratem procelloſo mari non credas. Hinc autem *Repugnantia ſaluti.*

Animaduertas velim, quantopere hę difficultates ab ijs, quę in priore genere contingunt, tentationibus diſtent. Illę quippe ſunt eiuſmodi, vt veras atque ſolidas virtutes qua poſſunt impugnent, orianturque vel ab inſidiantis dęmonis inuidentia, vel à lubricarum rerum verſatili natura, vel ab ipſa nullibi non lapſante humana infirmitate: quare nec adeuntur vltrò, nec temerè accerſuntur, ſed quantumuis illis defugien- *Diſcrimen difficultatum.*

dis, tuique obarmandi causa sanctius Institutum susceperis, incurrunt tamen, ac interdum eò sæpiùs ac molestiùs impugnant: quo fit, vt diuinæ bonitati omnino consentaneum sit, hostis importuni vires, audaciamque comprimere, & aliunde tantum alacritatis, tantùm roboris indere, vt pugnę assiduitate robustior, victoriæque animaduersione hilarior, ad extremum vsque brauium perseueres.

At verò quando vltrò, nullisq; certissimis Dei compellentis indicijs, teipsum in id vitæ genus compingis, vbi æterna tua salus in plura & grauiora discrimina incurret, non est equidem cur eadē tibi gratiæ diuinæ auxilia spōdeas, sed abundè est cur timeas, ne temeritatis tuę iustas daturus pœnas, in ea quę adamasti pericula incidēs, ijs inuoluaris & pereas. In hæc diligentiùs intende, tibi cautiùs prouide, ne seriùs, at frustrà lugeas.

Spectandū tempus ijs destinatū. Est prætereà cùm in his, tum potissimè in prioribus animi difficultatibus, & arduitate rerum, ex virtute, vel consuetis munijs exercendarum obseruandum, ne sic æstimentur quasi nunc vsurpanda instarent: ab eo enim vires nostræ nimis impares abhorrerent, vt si necdum tiro de concionibus habendis, negotiis gerendis, confessionibus audiendis, Theologia enucleanda cogites: non

non ita, sed videndum, sintne quæ ad res eas aggrediendas adhibeantur, aptæ quædam preparationes animi, & an omnes ad ea singula exercenda cogantur; vel potiùs à Superioribus ij soli destinentur, qui ea benè & cum dignitate atque animi emolumento præstare possunt. Sin hoc postremo modo se res habet, nihil est cur eius rei susceptio mihi pertimescenda videatur, cuius ritè & ex Dei gloria obeundę facultatem mihi adesse, iudicauerit is, cui quasi vices Dei gerenti obtemperare debeo, cui etiam, ne meo ipsius iudicio fallerer, & corpus & mẽtem mancipio & vsu tradidi, quo videlicet quasi bonus fidusque trapezita, ad vtilitatem Domini promeret, conderet, prout rationibus eius vidisset expedire. O grande & ineluctabile Præsidum Religiosorum onus, vt etiam de lucris non comportatis, non adauctis, non in lucem eductis, diuino in iudicio seuera sit ratio reddenda! An non hinc *potentes potenter tormenta patientur, exiguo verò fiet misericordia?* Nam quæ dulcior subdito securitas, quàm si intonanti Domino, *Redde rationem villicationis tuæ, mnæ tuæ, talenti tui.* Verè & sincerè respondere possit, Domine, en trapezitæ tuo pecuniam tuam, totam quantam mihi credideras tradidi, id tuum saluberrimum esse consilium

Præsidum & subditorum conditio.

filium credidi. Domine non iam à me, sed ab illo lucrum, vsuram, quidquid voles exige; nihil meum mihi supererat; ex eo quod non erat meum, nihil potui lucri facere; eius erat in lucra incumbere, cuius res erat. Certè nihil hîc extimesco; hoc tamen & non mediocriter timeo, ne qua propensione vltrò oblata, vel alienationis indicatione, vel alia quapiam ratione, vltroneæ Superiorum voluntati, aliorsum conuertendæ causam dederim, diuinæque prouidentiæ rectissimo cursu obliquato, meorum mihi consiliorum & cuiuscumque iacturæ, atque minorum lucrorum, tantò seuerior ratio reddenda sit, quò minùs meus esse, minùs meis regi consiliis debui. Sed ad ea quæ in viribus corporis sunt spectanda veniamus.

Corporis vires. Equidem animum corpori sic illigauit Deus, nihil vt possit, nisi corporis ministerio, non dico in pluribus, sed in omnibus, vtatur: ideoque planè necesse sit videre, quid & quousque vires corporis ferre valeant, ne suprà quàm possit aggrediens, ea ipsa quæ moderatiora fuerant, obseruare non valeas, totusque debilitato corpori fouendo seruire cogaris. Latè peruagatur hic error, eoque diligentiùs cauendus est, quò probabiliore pietatis specie præferuidos decipit. Atqui non eadem possunt omnes, viriumque ma-

xima

xima esse solet imparitas, etiam in eis qui maximè videntur æquales: hic vigiliarum, ille ieiunij; hic æstus, ille frigoris; hic sedentarij studij, ille laborum erit impatiens: est qui quouis victu vegetus perseuerat, est qui piscium alimenta non ferat; quiddamque multorum natiuæ habitudini est insitum, cui necessariò cedendum est, vitamque in discrimen voces, id si conuellere conaris. Quare primò & necessariò videndum est, sitne in eo vitæ genere, de quo suscipiendo consilium inis, quiddam eiusmodi, vt omnino extra virium tuarum modum esse meritò iudicetur, id enim velle temerarium esset. Ne tamen vel nostris viribus præfidamus, vel diffidamus nimiùm; simul, & maxima quidem, Dei vocantis & auxilia daturi ratio est habenda, quantumque & quovsque ab illo sperare nos deceat; nec enim sine illo speranda nobis est perseuerantia, nec ab illo tamen vbique, & quauis in aggressione speranda.

Duo sunt igitur, quæ suis præbet Deus virium corporis fomenta: Vnum quod omnino supra naturam est, inque rebus mirandis reponitur, cuiusmodi Simeoni Stylitæ datum, quando plures annos, cibi, potus, & somni expers, sanus & vegetus, noctes diesque perpetua in contemplatione, atque *Deus fouet corporis vires. Supra naturam.*

populi

populi ad aliquot horas adhortatione perstabat. Sanctorum non paucis variè sic adfuit Deus, vt possent, quæ natura imbecillior prorsus negabat. Verumtamen, quia prȩter communem modum ista sunt, temerarium est id aggredi, ad quod perficiendum eiusmodi auxilio ęsset opus: vt si quis nullo subitario casu, cui mederi posset, sed à pueris, & stomachi natiua infirmitate, nec ouo, nec piscibus, nisi graui valetudinis damno vesci se posse expertus esset, ac nihilominùs vitæ Carthusianæ Institutum ambiret, quis non eum temeritatis damnaret? nempe ad id quod non poterit perficere instigat dæmon, vt ne quidem id posteà teneat, quod potuisset prius, aliosque, exemplo illius ruinæ, abs adeundo eo Instituto deterreat. Rarius quidem est vt adeò apertè quisquam supra notas vires audeat, sed ex his apertioribus, occultiores insidiæ sunt explorandȩ. Quamquam fateor, etiam subinde Deum, inflammando hominum tepori, eiusmodi faces incendere, insuetisque & mirandis ausis, audaciam timidis indere: tum verò, apertè & præter ordinem, certisque argumentis id suæ voluntatis esse testatur: estque admodum rarum.

Secundùm naturam. Aliud est auxilij genus, quo nostris viribus opitulatur Deus, leniter, & vix obseruabili ope,

ope, illas ſuſtentans, promouens, adaugens, ac ſuauiſſimè prouidens, vt ad potiſſima Inſtituti munia obeunda ſufficiant. Valdeq; obſeruandũ eſt, poſſe quemuis, ac maximè Religioſum, id auxilij ſibi certò ſpondere ad actiones Inſtituti proprias, & afflictationes in commune præceptas. De ijs quæ priuatim, & non ex vi Inſtituti ſuſcipiuntur, longè periculoſius videtur, cùm in his nihil ſit, vnde opem diuinam mihi promittere certiùs poſſim.

At in ijs quæ Inſtituti ſunt, conſtat diuinitus ea viris ſanctis eſſe commonſtrata, & Eccleſiæ auctoritate comprobata: cumque ad illa vocante Deo acceſſeris, & diuinæ prouidentiæ atque bonitatis ratio exigat, vt eiuſmodi Inſtituta, quaſi naturæ conſentanea conſeruet, (conſeruentur autem, ſi ſinguli conſeruantur,) planè conſequens eſt, vt eadem quoque diuina prouidentia, tuis viribus in eo Inſtituto conſeruandis, inuigilet, ne propriè ab eis quę vulgo iſtic pręſtanda ſunt, ſic lædantur, vt eo in vitæ genere perſeuerare non poſſis. *Fouet quæ Inſtituti ſunt.*

At obijcies, nõ paucos ſuſcepta Religione ad alia compelli inualetudine corporis, vel mox à nuncupatis votis, perpetuis morbis conflictari, & ad extremum vſque grauiſſimis doloribus confici. Equidem ita ſe rem *Quid de morboſis Religioſis.*

habere

habere quotidiana docet experientia; nec aduersatur antedictis. Priores namque in eorum numero reponendi, quos nonnisi imperfecta & inchoata (de qua infrà) vocatione ad id vitæ genus vocauerat Deus: vel etiam temerè,&non vocati,suisque non probè perpensis viribus irruperunt. Posteriores (qui mox à stabili Religionis vinculo morbis correpti fuerunt) aliunde quàm à propriis Religioni muniis id cótraxisse, solo ipso tempore probantur. Quid enim fuit, quòd toto tirocinio alacres vegetique in iisdem perstare potuerunt, si vires ijs perferendis deerant? Adfuerunt igitur, sed mox communi hominum, qui varijs obnoxij casibus sumus, infirmitate obuoluti, magno suo bono in Religiosa familia languere cœperunt, qui in mediis sæculi fluctibus minore solatio grauiùs afflictati fuissent. Neque sanè est cur à Deo putemus expectandum, vt naturæ morborumque decursus, & quasi fluxiones, noua mirabilitate sistat: ingentis fuit beneficij quòd temporibus benè vtens, beatæ ipsorum æternitati consulere sit dignatus. Eos taceo morbos, qui laborantis vitio, etiamsi ad speciem honesto, contrahuntur, vt intempestiuis vigilijs, inedia crebriore, nimia animi contentione, inabrupta laborum continuatione, excel-

excellendi cupiditate, anxia & irrequieta futuri solicitudine, alijsque quibuslibet, quæ cùm sint extra vocationis normam, Deum illis patrocinari non decet.

Quis ergo, quæres, temerè accedere dicetur, & vndénam id iudicabitur? Si rem hanc ad plenum tractauero, prolixior quàm par sit euadam. Conferunt quæ de feruore dignoscendo Gallicè fusiùs dixi; nunc breuitatis gratiâ & ad rem nostram. Videndum, sitne in nobis quidpiam, quod meritò, & ex vsu nobis cognito, sit impar tali vitæ generi, vt si vehementiùs debilitamur aliunde, si ineptiores & obtusiores reddimur, cùm quidpiam præstitimus, si videmus id eos (non ex animi, sed ex valetudinis aut virium defectu) ferre nequiuisse, quos vel pares, vel nobis robore superiores nouimus: hæc enim sunt argumenta, quæ nobis nostram imbecillitatem ob oculos ponunt. At si nihil eiusmodi est, si rationis impulsu ad id vitæ genus permouemur, si maturo & non præcipiti consilio, non aliunde quàm diuini honoris, & salutis nostræ amore accedimus, non video quid subesse temeritatis queat; nisi fortè in eo aberret, quòd maiorem corporis quàm animi rationem hîc habeat. *Quis temerè Statum aggreditur.*

Quippe fieri potest, vt id vitæ institutum

Maior mẽtis quàm corporis ratio habenda.

eligas, quod bonum ſit & ſanctum, & cui ferendo ſis, & tamen minùs rectè eligas: vt ſi te curandis in quopiam noſodochio ægrotis perpetuò addixeris, cùm tamen multa & pręſtantiora poſſes: nec enim ſatis fuerat vidiſſe, futurum id bonum, & eiuſmodi vt vires ferrent, ſed quærendum quoq; fuerat, an non vel à melioribus retardaret, vel alio in inſtituto magis efflorere poſſes. Corpore & mente conſtat homo, eſtque vtriuſque habenda ratio: qui tantùm in alterum defigit oculos, aberrabit à vero. Exercitatio corporis, ad virtutem ſæpè valet plurimum, quare optimè facit qui valens corpore, ad ea ſe confert, vbi duriùs illud habendo, ſui ipſius victor, animique ad omnem virtutem excultor euadet. At ſi videt hic idem, ſe quidem hoc poſſe, ita tamen vt à præſtantioribus nõ paucis virtutis exercitijs ad quæ natura ferretur, temperandum illi ſit, nec vſqueadeò charitatis munijs explendis poſſit incumbere, imperfectiùs eligit, quando mentis exercitationem, corporis exercitationi poſthabet, neque ſequitur naturæ in pręſtantiora propendentis ductum. Cuius vt quantum ſit momentum intelligas, videaſque vbi repellenda, vbi nobis vtenda & propellenda ſit,

Obſerua, quaſdam in homine eſſe procli-

uitates

uitates ad vitia, ad indecora, vel cum honestate pugnantia: quomodo videas nonnullos sua naturali sponte, nisi se ratione correxerint, ad auaritiam, luxuriam, ambitionẽ, gulam, impetu ferri; pigritia, animi deiectione, suspicacitate, inuidentia, timiditate, sordibus laborare; curiosos, vagos, lentos, rerum omnium incertos, otiosam vitam degere, nec vsquam ad aliquid homine dignũ assurgere, verbosos, magna promittentes, & iam iamq; quasi complectentes, numquam tamen quod statuisse videbantur exequentes. Horum & similum nonnulla, vel etiam plura in nobis latent: quæ vbi animaduerteremus, non tantùm fouenda & dissimulanda non sunt, sed oppugnãda, & quacumque dabitur expugnanda sunt & euellenda. Cumque ab eis quasi domesticis inimicis, multa, ni cauerimus, mala immineãt, ideò vt plurimùm expedit id vitæ genus eligere, in quo pleniùs ista videntur edomãda. *Procliuitates impugnandæ.*

At est aliud procliuitatum genus, quod vel laude sit dignum, vel eiusmodi sit vt illis rectè vti haud ægrè possimus, soletq; in eis animaduerti quiddam humanã industriam exacuens, aut quópiam deferens, potiusque in hanc quàm in illam partem inclinans. Sunt autem & hæ duplices. Quædam sunt, quibus ad plura latiusque diffusa propen- *Fouendæ & regendæ.* *Quæ ad plura.*

demus, induſtriam, vires animi & corporis ad quamdam vitæ formam propè compellentes, & ſic aptantes, vt ſi ad aliam ſe conuerterit, iaceat, nec poſſit ad præſtantiora contuenda erigi. Si quempiam videas indolis optimæ præſtantia, caſtitatis amantem, alienis ductibus facilè obſequentem, non ambitioſum, non cupidum, quónam hunc ferri, niſi ad Religioſum ſtatum dixeris? ac etiam forſan agnoſcas, cuinam aptior ſit, ſi pariter videris ad quaſnam & quarum Religionum actiones aptiùs & accommodatiùs feratur. Ita quoſdam in res bellicas, quoſdam in publicorum negotiorum tractationem, in medicinam, in quampiam artem mechanicam, toto impetu rapi, ibi valere, vigere, diſſerere, ceteris antecellere, nihil arduum habere, cuncta perrumpere animaduertes; quos ſi ad alia traduxeris, deiecti, & inuita Mineruа, nihil agunt: eos dixeris, dum in eis verſantur, quaſi in mari piſces, vigere, illudere, lętari; cùm inde extraxeris, palpitare, languere, vitali omni vigore deſtitui. Tanti eſt, quibus quemque rebus deſtines!

Quædam ad pauca. Aliæ, & non diſſimiles, ſunt ad vnam quampiam rem procliuitates, quibus fermè quiſque vna quadam magis actione delectatur & eniteſcit; hinc nonnulli ad liberalitatem,

litatem, alij ad paupertatis amorem, alij ad zelum, vel ſpem, vel timorem, vel benignitatem, vel caſtigationem corporis, vel modeſtiam, vel deuotionem, vel alia quædam proniores: ſermone, gratia, benignitate, amabilitate, deſcretione hi, alij valent alijs: quæ & plura notanda ſunt, vt excitentur, illudque vitæ genus eligatur, quod his & ſuperioribus exercendis futurum eſt aptius. Facit hoc plurimùm ad Dei gloriam: facit ad eorum qui ſic eligunt certiorem ac ampliorem ſalutem: nam Dei dona depromenda, & è ſcabra rubigine expolienda ſunt: idque quod conuenienter naturæ aggredimur, leniùs, alacriùs, perfectiùs obimus. Atque hinc ſecundùm Deum fieri credo, vt quodpiam vitæ genus alicui facillimum euadat, licet pluribus incommodis obnoxium: itemque nonnemo pluribus & præſtantioribus in inferiore ſtatu virtutibus eniteſcat, quia cùm aliquid magna alacritate & naturæ ſolertia ſingulari ſuſcipitur, longè faciliùs & feliciùs obitur, animoſiùs & expeditiùs obſtantes obices perrumpuntur, ſubtiliùs in futurum nocitura perui dentur & arcentur, quęque in pręſens fiunt, ardentiore, liberiore, incitatiore vi animi perfectiùs exercentur. Frequenter autem ad ſummam perfectionis longè maximi refert,

Hinc facilitas.

quàm perfectè tuum munus, tuumque vitæ institutum peragas, præstatque in exiguo magnum, quàm in magno exiguum esse.

Qui minùs, Paucis concludo: Tunc minùs quàm par esset eligi, quando dictat conscientia, posse melius quid & perfectius eligi, à quo nulla recta & iusta ratio abducat. *Qui aptè,* Is verò benè & aptè seligit, qui sic vitæ genus bonum eligit, vt non videat melius aliquod, quod ex ratione, diligenterq; expensis animi & corporis viribus, sibi sit cum perseuerandi spe eligendum. *Qui nimium.* Is denique nimium & temerè eligit, qui vel rationibus non expensis ac subito impetu, vel id eligit quod vires & talenta à Deo donata immodicè superegreditur.

CAPVT XXIV.

Ad ipsam electionem quomodo accedendum.

S. Xauerij monitum. SANCTVM Xauerium legimus, Regi Lusitano, ad Regni & gubernationis formam optimam, cum iustitia, prudentia & Religione retinendam, id consilij dedisse, vt frequenter mente reuolueret, penitusque illius Euangelici dicti veritatem imbiberet, Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimētum patiatur?

patiatur? Erítne res vlla alia tanti, vt ſuam ſui ipſius iacturam inde reſarcire quiſquam valeat? Quis dolorem vitalia depaſcentem, voluptate foris eblandiente compenſet? Quis vt euanidum atque mox periturum quiddam acquirat, ſe totum ſciens & volens in æternam præcipitet miſeriam? Quis tam parum ſui amans, tam parcus æſtimator futurus, vt ſalutem ſuam, qua ſine, cetera concidunt, reculis malè concupitis poſthabeat? Veriſſima & certiſſima ſunt hæc, & ad omnem actionem, deliberationem, dubitationem vtiliſſima, ne vſquam ab eo quod rectum eſt cupiditatis æſtus abducat.

Neque verò facilè nobis hîc credamus, neque putemus ſatis obfirmatam eſſe ſententiam, qua id velimus vnum, id præ ceteris ambiamus, quo animi ſalus certior reddatur; & quidquid aduerſatur, id protinus & conſtanter auerſemur. Blandus eſt deceptor affectus, ſalutis cogitationem dimouet, adamati honoris aut voluptatis cupiditatem inflammat, ea ſuggerit conſilia, in eos præcipitat auſus, vnde tota ſalutis ratio in incerto collocatur, neque tutior vllus receptus patet, ipſumq; latet periculum dum cæco impetu rapimur. *Ne nobis credamus.*

Velim igitur, adoleſcens, vt priuſquam preſſiùs ad electionem accedas, ipſe te ſeriò

Sui pertentatio. diligenterque pertentes, num tua desideria omnia ad vnam tuæ salutis curam ferantur: sitne rectus ac eximius ille scopus quò tua omnia consilia destines, vnde respuendi & amplexandi vitæ Statum argumenta depromas. Ideoque aliquot dies, hebdomadas, vel menses, perfrequenti cogitatione, ac manè & vesperi maiore contentione perpendas, quàm parum, se neglecto, cetera prosint homini? Cùm autem id penitùs in medullas hauseris, tum ad alia pertransito: & quæ sequuntur, vbi opportunum fuerit, sæpiùs ac partitè considera.

Homo medius omniũ. Medius quidam hoc in Orbis theatro est homo: suis eum stipendijs mereri, sub suis vexillis militare cupit Deus: sed & eum ad sua castra allectat dæmon, & habet vnde sibi arctiùs implicet. *Binos inter Duces.* Bina ergo castra, binæ militiæ, duo Duces, duo sunt Imperatores, at toto ductu, ingressu, fine pugnantes, neque quidquam alteri aduersius fingi potest. Est etiam adiecta conditio, vt vtrique neminem; alterutri militiæ, vnumquemque nomina dare, castrisque adscribi oporteat, capitales intercedunt inimicitiæ, internecinum bellum, consilio, voluntate, vexillis, armis, comitatu, planitusque rebus omnibus diffident. Quæ castra, quem sectaberis Ducem?

Alterum

Alterum igitur sectaturus, id statue, tuis in partibus fore tutius & honoratius, quod erit Duci tuo vicinius: etenim hac lege viuitur in castris, vt qui apud Imperatorem, præcipuè victorem & hosti inaccessum, proximè degunt, hostilibus insidiis & incursibus non pateant, & omni copiosiore commeatu lætiùs abundent. Quare quò propiùs ad Ducem IESVM accesseris imitatione virtutum, eò minùs abs hoste satana pertimescendum tibi fuerit, eoque iucundiùs, effusis cælitus in mentem tuam lætitiis, indefessus ad maiora prouolabis. At (id si animo sedet) quò similior dæmonis quò ad omnem improbitatem profusior fueris, eò dæmonibus charior, Deo exosior, à salute & incolumitate alienior euades. Tantúmne humanis animis dementiæ possit inserpere? *Quid firmius in singulis.*

Sed quis credat, nequissimi & infestissimi dæmonis, optimi & benignissimi IESV CHRISTI nominibus auditis, non statim omnes illo despreto, ad hunc esse conuolaturos? atqui secùs euenit, quamplurimi dæmonem, sed IESVM CHRISTVM paucissimi sequuntur. O vtinam è paucis, quàm è multis, vnus esse malis! Sed hîc siste, & firmè decerne, verum Regem omnium IESVM CHRISTVM, dæmone *Qui Duces?*

 spreto

ſpreto ſequi,quidquid inde te abduxerit, id ſummè malum, ſummam tibi perniciem inferre; ideoque ſit licet manibus vtilius, oculis charius,quàm longiſſimè abs te repellendum,cauendum,explodendum eſſe.

Cur ſatan habeat aſſeclas.

Quid autem eſt cur ſatanam,quem oderunt omnes, pænè tamen omnes ſequuntur? Regem optimum IESVM CHRISTVM, quem omnes diligunt, rari quidam & eluctando ſequuntur. Profectò quiddam intercedere neceſſe eſt, quod improuidorum hominum oculos faſcinet, voluntates atque iudicia dementet. Quod ipſum, cùm lugendum ſit & infelix, vt meliùs caueas, diligentiùs intuere,

Cùm ſit hoſtis.

Quàm vel ſolo nomine deteſtandus ſit dæmon, quippe mendacij, ſuperbię, fallaciæ,peccati omnis auctor & parens,luxuriæ fœdus incentor, crudeliſſimus tyrannus, ſuffarcinatus dolis, capitalis hominum hoſtis,ęternis ignibus addictus, diuinæ Maieſtatis perduellis, cuius vana omnia promiſſa,blanditiæ deceptrices,inanes minæ,conſilia & conatus omnes ad nocendum atque perdendum,adeò vt nihil boni velit, nihil boni poſſit,nihil tentet aliud quàm vt à recto & æquo abductos,per ſpurciſſima vitiorum in interitum demergat æternum. Heu quàm duris & ſęuis vrget imperiis, quos ſibi

bi

bi tenere se credit obnoxios! Et quid, spreto Deo, nisi pudorem, trepidationem, conscientiæ angores, & cruciatus perpetuos demetunt? nisi se fortè egregia illa Principis quem sequuntur societate beatos putent: putent sanè, ac per me quoq; licet glorientur, euasisse se denique in socios dęmonum, socios nequitiæ, socios tormentorum. nónne hæc omnium maximè est deploranda conditio? prospice; his in castris, nulla meliore militatur: etenim stat fixum, quod verè scriptum, Stipendium peccati mors.

Instar conscribentiũ militem.

Attamen ad hanc militiam cupidè parateque concurritur. Et hîc non multò aliter fit quàm à nouis ducibus, qui cùm ad militiam, quæ longior, periculosior, exosior est, militem conuocant, iuniores blandè compellant, conuiuiis excipiũt, pecunia donant, largitione deuinciunt, licentia leniùs inescant: mox autem vbi militare sacramentum dixerint, vbi in cohortes ad vexilla distributi fuerint, præfractis agitur imperiis, vineis in dorsa sæuitur, promuntur secures, quocumque per quæcumque pericula mittuntur, vbique disciplina militaris vrgetur, & prægustatæ initio deliciæ atque libertas, improbis laboribus duraque seruitute commutatur. Haud secùs, quamquam longè fraudulentiùs atque truculentiùs,

dæmon noſtris nos cupiditatibus implicat, ineſcat, obſecundat, donec in retia pertractos in exitium demergat. Se ipſum, aucupis inſtar, occultat, quæ grata ſunt obijcit, tandémque intricatos, duræ tyrannidis iugo miſerè premit.

Quomodo ſe inſinuet. Ac fermè hoc modo progreditur: Amorem huius vitæ inflammat; facit vt alterius vitæ neglectus & incogitantia obrepat; ergo quæ ad hanc vitam faciunt, quæruntur, amantur, in pretio ſunt; quæ ad aliam, negliguntur, iacent, vileſcunt. Senſuum & carnis oblectationes commendat, ad eas incitat, vt id pabulum quantò gratius tantò auidiùs hauriatur. Sed & oſtentat, quàm pulchrum ſit abũdare diuitiis, copia, & rerũ omnium affluentia: inde gradum facit ad honores, dignitates, amplitudinem aucupandam, è quibus enaſcitur arrogantia, ſuperbia, ſuiipſius exiſtimatio, deſpicientia ceterorum, impatientia, pertinacia, & denſæ vitiorum omnium cateruæ. Atque vbi primùm cœperis vel ſenſuum vel diuitiarum cupiditate quaſi pedica inuolui, confeſtim vrget acriùs, grandioribus plagis implicat, noua & ſpecioſiora menti obiicit, cupiditates cupiditatibus, negotia negotiis, præſentibus ſpem futuri, & emerſuros exitus ita permiſcet, vt inani meliorum expectatione

mens

mens delusa,tantoperè speratis inhiet,vt seipsam respectare,& quæ ad salutem faciant curare non possit.

Hinc sensim vitiis, cupiditati, inanitati, superbiæ assuescit, desipit quod rectum est, longissimè à virtute receditur, vitæ melioris cogitatio deponitur, in æternitatis, Deique contemptum, temeraria desperatione deuenitur. Huc suos prouehit satan; heu! multos nimis! eosque nonnumquam qui primis initiis cautiores, prudentiores, meliores, sibique, quàm tu tibi sis, magis attenti videbantur. At illectos eò perduxit, vbi cupiditati nullum modum ponere, & in lubrico præcipitio pedem neque figere, neque referre possint. Hoc autem cùm efficere soleat obiecta sensuum oblectatione diuitiarum cupiditate, honorum ambitione, & auiditate gloriæ, id firmissimè tibi persuade, harum rerum desideria, escam esse dæmonis, philtrumque quo credulos dementat: ideoque diligenter excutiendum, & nihil admittendum est quod ex eiusmodi rerum amore proficiscatur: sunt enim dæmonis laquei, satanicæ seruitutis aditus, mortis prænuntij, vitiorum illices, Circæa pocula, non homines in porcos, sed in monstrificam dæmonis formam emutátia. Ergo vt quidam olim audita rotarum

Quò denique demergat.

Inde deceamur.

cuer-

euersione, rerumque perturbatione clamabant: *Fugiamus Israelem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos*. ita vbi tu serpentis vocem subdolam, ad diuitias, honores, commoda inuitantis, & ideò ad quemdam Statum euocantis aduerteris, prudentiùs exclama: Fugiamus superbum, caueamus dolos, hîc in insidiis delitet oppugnans dæmon.

Exod. 13.

Quid Iesvs. Enimuerò intuere, quanta venustate, honestate, amabilitate, comitate, te benignissimus allicit IESVS, Rex regum, Dominus dominantium, vitæ & mortis arbiter summus, supremus, firmandaque in æternum sentẽtiâ, omnium Iudex. Hoc propitio, nemini malè; hoc aduerso, nemini benè esse potest. At sincerè verax est, nec alterius quàm sui gratiâ vult amari, ideoque apertè & planè, primo in accessu, quid exigat exponit, suæ dignitatis, suæque, cui etiam sepositis præmiis nihil non debetur, præcellentiæ securus. Itaq; instar potentis & munifici Regis, qui accedentibus ad obsequiũ, copiosè atque dilucidè exponi omnes officij pręstandi & exigendi partes vellet, neminem autem promissorum blanditiis allici: ita suorum animos periclitans, & à primordiis obfirmans IESVS CHRISTVS, nihil eorum promittit quæ voluptario sensui,

Apertè verax.

ſenſui, vel ambitioſæ cupiditati placeant, ſed vocat ad ſancta, præclara, ardua, quęque homine ad diuinam ſimilitudinem adſpirante digna ſint.

Quicumque, inquit, militiæ meæ nomen dare, vexillis meis, meiſque militare volet auſpiciis, is quæ huius vitæ ſunt parui ducat; ad futuram deſideriis & tota operum deſtinatione contendat, ſenſus omnes & motus appetitionis refręnet, corpus animo, animum Deo ſubiuget, perituras diuitias contemnat, honores vitæque ſuperbiam ne amet, oderit potiùs, meoq; permotus exemplo crucem deligat, humilia ſectetur, è voluntate diuina ſemper pendeat: me ducem ſequatur: per aſpera, confragoſa, laborioſa nitentem, ſurſum eucham, iter complanabo, vires reficiam, victoremque æternitate gloriæ donabo. O ſi noſſes quantum gloriæ in humilitate, in aſperitate ſuauitatis, conſolationis in dolore, diuitiarum in paupertate deliteat! quàm promptus amplexareris oblata! ſed abſque ſpinis non leguntur roſæ, brauiumque non decertanti non datur. Tantùm animi ſit vt ad certamen in arenam prodeas, cetera perficiam, interueniam moderabor incurſus, arma, vires, victoriam dabo, & vincenti nomen nouum, manna abſconditum. *Quid loquatur.*

Iſtiuſ-

Istiusmodi sunt ad vnumquemque nostrûm inuitamenta IESV CHRISTI Saluatoris nostri: ex his eum, quasi è proprio dicendi charactere dignoscant: at verò dæmonem; ex eo qui penitùs repugnet.

Vsus dictorum. Itaque ad cuiuspiam instituti cogitationem si mihi videor intus loquentem persentiscere, Accede, istic vitam degas, alienæ voluntatis imperiis obnoxius, voluptatum carnis expers, diuitiarum contemptor egregius, humilitatis Christi sectator, Sāctorum imitator esse ne detrecta; crucem delige: contemne quæ blandiuntur, à perituris ad æterna conuertere. Christum audiam inuitantē,& eiusmodi alloquia, vt Deo digna,& à Deo profecta, magni faciam, & ne in irritum cadant, sedulus cauebo. Pertimescam verò,& quàm intentissimè explorare tentabo, quæ blandè, quæ deliciariè, quæ multa honorum aut diuitiarum gloriæ, & comprobationis humanę spe, promissisque sese offerent: his enim inescatos passim plurimos, per abrupta vitiorum raptare solet dęmon. Certum igitur sit, timendos eorum consiliorum exitus, quæ à sensu, diuitiis, ambitione & honore originem ducunt; feliciores esse solere, quorum primi ingressus austeriores, à sui, atque voluptatum, diuitiarum honorumq; contemptione ducuntur.

His

His in animum firmè constanterque demissis, velim vt implorata sancti Patroni, Angeli tutelaris, sacratissimæ Virginis matris ope, gratiam sancti Spiritus quà prece, quà eleemosynis, quà piis exercitiis flagites; & numquam nisi vacua prauis affectibus mente, ad reuoluendam de vitæ statu eligendo deliberationem accedas, Deoque te humilem, & ad omnia paratum, & excipiendis sacris eius alloquiis attentum sistas, magnaque impetrandi fiducia postules, vt ne vmquam vllis astuti dæmonis prestigiis & obtectis boni specie fallaciis, in fraudem te abduci sinat. Tum verò, quasi coram diuina Maiestate, cui patescunt & nuda sunt omnia, pone tibi ob oculos pauca quędam, de quibus controuertitur, vitæ Instituta: neque leniter, sed pensiculatè, sensim, & probè perpensis omnibus, ex vno ad aliud accede: hac fermè methodo, adolescentibus aptiore. *Præparatio animi.*

Méne coniugalem? an cælibem præstat vitam degere? Si coniugalem, en vitæ genus decretum: minora, & cum ceteris communia quædam supererunt, vbi, quando, quomodo? At si maluero cælebs viuere, restat quærendum, meine, an Iuris alieni. Si mei, non aliter fermè in literatis esse solet, quàm vt Sacerdotes fiant. Sin autem alie- *Statuum contentio.*

O ni, id

ni, id fit in Religioſo ſtatu; quare hîc erit de Religionibus quæſtio mouenda, & pauciores quædam quarum ſit opportunitas, quæ ſui ſint inſtituti obſeruantes, & quas maximè ſuggerit animus, erunt conferendæ, ac priùs relegenda quæ in hanc rem dixi, & ſingulis adaptanda erunt.

Quæ in quibuſdā. Quoſdam reperias, quos à pueris ſancta parentum educatio, & maximè diuinæ bonitatis largitas præuenit, vt ſtatutum illis ſit caſtè, nonnumquam etiam & religiosè, vitam totam traducere. Felices, quibus id contigit! Quod implantauit Deus, quis ſapiens euellat? ergo perduret, nec id reuocetur in dubium, ſed inde deliberandi ducatur exordium, vnde dubitatur, nempe, Quam Religionum ſatius ſit aggredi? licet enim in quibuſdam præformata quarumdam Religionum deſideria proferantur, raro tamen ea indiſcuſſa prætercam, quòd in imbecilliore ætate, non ſoleat Deus, tam expreſſas, ſingulares vnius boni imagines indere, ſed tantùm ſint communis quidam, virtutis perfectiùs amplexandæ amor, qui ætati illi ſufficit, niſi (quod in Sanctorum nonnullis cernimus) ætatem præcurrat amplior ſolito vis gratiæ.

Confuſi. Sunt quidam impatientes ordinis, qui confusè inuoluunt omnia, ſenſim ex vno in

aliud

aliud ferri nequeunt, nec quid singula valeant distinguunt: hi facilè exterrentur, ægre diiudicant, erroribus patent, præiudicatis adhærescunt, ideoque in ordinem compellendi, & ad singula discriminatim diiudicanda cogendi sunt.

Quod securissimè & apertissimè de scripto fiet, hac via: In capite adscribam, de matrimonio: deinde columnatim subiungam commoda sinistrorsum, incommoda dextrorsum, vbi enumerabo quantum ex eo præsidij, quantum periculi detrimentíve ad virtutem, pacem & salutem animi, diuinamque gloriam redundaturum sit: quàm certa illa vel incertà, quibus aliis compensari, ornari, conuelli, & minui possint, iuxta ea quæ de commodis & incommodis aliaque in Statibus obseruanda dixi.. Idem in aliis agendum. De cælibatu, Religione hac, illa, atque ita in ceteris. *De scripto.*

Perpensis attentè rationibus, iudicandum quam in partem potiores rationes inclinet, & id vitæ genus eligendum, quod nobis ad salutem certius, ad æternam gloriã vberius fore speramus, Deoque auctore cõfidimus. *Perpendendæ rationes.*

Tum verò, id omne quod statuisti, destinato animi proposito firmandum est, sic tamen vt nulla dum voti religione te obstringas: rationesque illæ omnes, quæ vel in *Concludendum.*

contrarium descriptæ fuerant, vel aliis vitæ generibus fauentiores occurrerant, dilaceres, & ne vmquam memoriam sollicitent, igni tradas. Deo verò gratias agas, offeras id quodcumque elegeris, exores vt cuius rei adamandæ lumina insperſit, eius quoque tum suscipiendæ opportunitatem, tum ad felicem exitum perducendæ facultatem largiatur.

CAPVT XXV.

Electionis confirmatio, vel diligentior exploratio.

Firmitas. VBI semel de eligendo Statu firmè conclusum fuerit, longè consultissimũ est, nihil penitùs reuocare in dubium, sed semel decretis stare. Antè tamen quàm constitutum sit, fieri potest, vt stimulanda sit tarditas, vel quædam anceps dubitatio euoluenda: eoque conferent quatuor quas adiungam regulas.

1. Regula, Affectus in solum Deum. S. Ignat. de Elect. Cùm rectam omnem electionem ex puro in Deum affectu manare par sit, & à Deo exoriri necesse sit, oportet vt qui eligit vel elegit, in seipso persentiscat, eum omnem affectum quo in rem electam fertur, solius Dei amore & intuitu excitatum esse, & in eum tendere. Igitur vt quàm certissimè confi-

confidas auctore Deo te impulsum, necesse est vt verè neque simulatè sentias, nulli te, nisi quæ ad cælestia, æterna, diuina spectaret, rationi obsecutum vt id eligeres: quidquid enim humanarum rationum, consanguinitatis, honorum, commodorum admiscueris, fiduciam, & certam à Deo originem infringet. Cui tamen non aduersatur, si vel propensionis naturæ, vel commodorum ad Deum ducentium, non tui commodi, sed perseuerantiæ, & diuinæ maioris gloriæ gratiâ, rationem habendam duxeris. Quippe vt neque voluptatis gratia comedēdum, neque tamen inter comedendum voluptas refutanda, quia conducit vt leniùs excipiatur cibus: ita non propter propensionem naturæ, vel honesta commoda, deligendus Status, sed si commoda, si propensionem, & opportunitates habet ad perfectæ virtutis consecutionem, diuinæque gloriæ maius augmentum vtiles, iustum hinc accedit ad electionem momentum, & hæc ipsa iudicatio diuinitùs hauritur.

Secunda regula: Si quis mihi amicissimus, & cui nihil non perfectionis inesse cupiam, occurreret dubius super ea ipsa re quę mihi nunc facessit negotium, quidnam ego illi faciendum & iudicandum ad maiorem Dei gloriam, & maiorem animæ illius per- *2. Regula. Quid alteri suaderem.*

fectionem essem consulturus? quo animaduerso, id mihi in mea dubitatione iudicandum videbo, quod alteri iudicandum fuisse opinabar. Sed hoc vt perfectè fiat, suam penitùs exuere, alienam inducere personam oportet, vt nullo iam affectu, sed vno veritatis iudicio agi possimus. Id etiam & apprimè curandum, vt ille alter planè per omnia par & similis sit nobis, eiusdem genij & ingenij, earumdem virium, propensionum, facultatum: alioqui constat, res & homines inæquales, æquali mensura non esse metiendos.

3. Regula, Quid moriturus vellet.

Tertia regula, Seriò & seuerè à se sciscitari, quidnam instante morte, iudiciјq; diuini terrore imminente, optaturus sis hoc in articulo fecisse, elegisse, secutum esse. Quod tamen de desideriis intellige, quibus optabis multa fecisse, quæ potueras & debueras, erisque puniendus quòd minùs aut imperfectiùs illa præstiteris, vt si occasione & facultate sequendi Deum ad potiora inuitantem, nulla iusta ratione reuocante, nō sis vsus. At si res bonæ fuerint, & vniuersè loquendo optabiles, sed eiusmodi quę corporis aut animi virium modulum excederent, vel quas suscipi non oporteret, quoniā in aliis potioribus, aut naturæ conuenientioribus præstabat occupari, nihil est cur

mo-

mouearis iſtiuſmodi deſiderationibus vagis, quibus optare quis poſſet omnium ſimul Religioſorum perfectionem aſſecutum eſſe, exercuiſſe opera. Ea ſola diuino in iudicio quæſtio diligentiùs vrgebitur, An id boni quod agnouimus, quod potuimus, à quo nulla nos iuſta ratio dimouebat, multa potiùs incitabat, an id, & qua diligentia ſuſceperimus: id perfectum gaudebimus, lugebimus omiſſum.

Quarta, neque ſuperiori diſſimilis, regula eſt, vt à me ipſo quæram, Quando pro diuino tribunali ſiſtar iudicandus, vbi dolis & errore ſemoto planiſſimè omnia pateſcent, vbi affectionum omni caligine deterſa voluntatum intima clareſcent, quid me nunc iudicaſſe, quibus obſecutum conſiliis vellem. Iiſdem nunc mihi vtendum eſt. Et quæ fuerint illa meliora, quàm ſi interroganti Iudici verè reſpondere queam: En Domine Deus optime, quando de vita inſtituenda deliberaui, ad te meam, quantum dabatur, voluntatem compuli, tuis mea deſideria ſubiugaui, conformaui, lumen expetij, vt quod velles viderem, quod viderem ſuſciperem, peragerem quod ſuſcepiſſem. Si quid melius iudicaſſem, animus erat ſubire: ſi neque vidi, neque aliter in animum incidit, potuíne ad non viſa, non animad- *4. Regula, Quid iudice Deo.*

uersa desiderium incitare? Misericors & miserator Domine, an punies quia plura, quia perfectiora non vidi, quia iusta, & quidem tua, dispensatione, plus luminis mihi non dedisti?

Has quatuor Regulas vtilissimè S.P.N. Ignatius & breuissimè tradidit: quadrant electioni vitæ, verùm ita vt ad quamcumque aliam deliberationem, actionem, cogitationem aptissimè referri, eisque diiudicandis adhiberi valeant.

CAPVT XXVI.

Quamdiu deliberandum sit.

Incertum. VIX est vt hîc aliquid certi definiri possit cùm sit ingeniorum, rerum, euentuum deliberationem protrahentium aut accelerantium maxima varietas.

Tempore adolescentia. Certum est, in adolescentiæ flexu id agi, & vt dixi in superioribus, peragi oportere, priusquam vitæ nauigium in vllum certum statum quasi littus inferatur: rarum est, vt qui in steriles, vel latrociniis infestas oras delatus ingreditur, is velificatione mutata possit ratem retroagere, cursuque conuerso feliciter aliquò aliò peruenire. Prima in aggressione, plurimum est momenti, erroresque primi, nonnisi longis laboribus,

bus, arduis periculis, ausibus incertis reparari queunt.

Laborandum in hoc vno quammaximè & quamdiutissimè, vt omnem omnium rerum affectum voluntas exuat, vnum Deum quærat, illius voluntati sanctissimę constantissimè obsequi, in omnibus obsecundare, præ Deo cetera omnia floccifacere studeat. Vbi verò de commodis & incommodis Statuum prudenter iudicauerit, tum confestim etiam iudicet, quis sibi præferendus atque adeò eligendus sit. Nec verò, si ad meliora & perfectiora contendis, diutiùs moræ nectendæ: temeritatem nimiam caue, sed caue & tarditatem: ocyùs vita fugit, nec morantem expectat: priùs præterierit, quàm tardare videatur: in præclaris, etiam tentasse laudabile: nihil ignauius, quàm vbique trepidantem, nihil audere, otiosum emori. Non addo plura, quæ passim in Auctoribus leges: aurem vellicat promissa breuitas, & ad finem vrget.

Præ cetetis affectũ exue.

Mora mala.

CAPVT XXVII.

Quanta sit in Vocationis cognitione securitas optanda.

SAPIENTISSIMAM & benignissimam Dei prouidentiam decet ibi potissimè homi-

Deus adest in necessariis.

nibus adesse, vbi eius ope destitutis periculum grauius, vel etiam æternum discrimen immineret: quo fit vt de vitæ Statu dubitanti, & ad Deum, vt salutis demonstratorem auctoremque accedenti, tantò certius auxilium cælitus expectandum sit, quantò id ad vitam ex virtute traducendam, ac denique feliciter finiendam pluris refert.

Sed via communi.

Neque verò cælitus ea nobis consilia dari exoptandum est, quæ prẹter communem ordinem deferantur: vt si Angelorum nobis obiectorum interuentu, vel mentis quasi à corpore seuocatæ vario excessu, diuinæ voluntatis indicium ambiremus: sunt enim hæc non rarò ab illudente dæmone conficta, & vani tumoris fomenta non exigua. Sed cùm *omne verum ab eo sit qui ait, Ego sum veritas: nec alius quisquam præter eum sit doctor veri, vbicumque & vndecumque claruerit: cùm nemo à se nisi mendacium habeat, & si quid veri habeat, à Deo fonte habeat: Dei deniq; donum sit, & scire quid agere debeas, & id ipsum velle agere:* certissimum est, eam quæ animo inditur, veram de Status alicuius commodis & incommodis cognitionem, à Deo esse, esseque donum regendæ vitæ nostrẹ, & conatibus in quamdam partem flectendis cælitus datum. Nobis verò incumbere, vt ne otiosam illam

Aug. de Doctrin. Christ. in Prol. & l. 5. Conf. cap. 6. Conc. Arausican. cap. 22. Mileuit. cap. 4.

Veritas à Deo.

cogni-

cognitionem dilabi sinamus,id cauendo,id persequendo quod docet.

Et verò si verissimo, & quem initio posuimus,rectissimo fine ducamur, si ex animo prauas omnes cupiditates eraserimus,si sancto precum operumq; conatu Deo supplices nos præbuerimus,lucidas Auctor ipse lucis notiones veri,menti nostræ imprimet, nec abduci vllo improuido errore patietur, flectet in eam partem oculos animi, in qua quid vtile,quid salubre,quid exitiale sit peruideat. Cùm autem id videris,insignite ingratus & iniurius Deo fueris, nisi id quodcumque est luminis & cognitionis illi feras acceptum: ac exinde id quoque sequetur, vt existimes esse instar luminis quod porrigit Deus,& quo illucente,viam certam tibi commonstrat, vt in eam ipso duce ingressus,in ea constanter,eodem comite, eodem prouectore perstes, & porrò pergas. Quæ vel vna ratio, ad timorem omnem propellendum, alacritatem maximam exciendam,valet plurimum. *Illucet animo expurgato.* *Lucem sequere.*

An igitur,inquies, id mihi protinus agendum aut suscipiendum est,quod salutare & rectum commonstrat Deus? Equidem si de re agenda loquimur, ita omnino se res habet,&extra controuersiam est. Quid enim? si veritas dicit & docet, hoc agere, hoc aggredi, *An semper sequenda.*

gredi, tibi bonum eſt: contrarium verò perniciosum eſt: quid veritati, niſi falſitas contradicat? At ſi tantummodò dixerit, res ea bona eſt, ſalutaris eſt: ex eo non efficitur, tibi quoque ſalutarem, & à te quærendam eſſe. Sed in hoc, quo de agimus, dicit & docet veritas, & ita eſſe agnoſcis; bonum, & ſalutare tibi fuerit, id vitę inſtitutum amplecti, illud cauere & fugere: ergo in confeſſo eſt, illud reverà complectendum, hoc verò penitùs eſſe fugiendum. Quæ profectò certiſſima ſunt, quando vtrimque perpenſis argumentis, de veritate conſtat.

Sed quomodo conſtabit? Conſtat autem, quando pro captu & modulo ingenij, ſincerè & ſine fuco, nobis ſuper eo quod agendum videretur inquirentibus, bona fide id melius eſſe viſum eſt: nec enim à nobis exiget Deus, quàm veræ re ipſa noſtræ opiniones, quibus ad agēdum inducti ſumus, fuerint; ſed quàm verè probabiliterque ſuſceptæ, quàm ſine fraude & dolo id merè ſecuti fuerimus, quod pro rationum occurrentium momento iuſtum & æquum fuit. In rebus enim obſcuris & inc rtis, cuiuſmodi ſunt hæ, contendentibus nobis ad id quod optimum ſit, humanum eſt errare, labi, & meliorum ſpecie in rebus bonis diiudicandis falli, vbi cùm vtrumque bonum eſt (vt in vitæ inſtitutis, & maxi-

maximè perfectioribus) diuinæ prouidentiæ rationes exigunt, vt vel ad optima contuenda oculos aperiat, vel si ad ea non ducat, vitio non vertat, si in re quapiam, quam putauerimus bonam, residemus, qui meliora non aduertimus, & à Deo in illa non incitamur. Cùm autem ad sanctum aliquod institutum adiecerimus animum, constanter adhærescamus, nec facilè nos alterius quasi perfectioris desiderio dimoueri sinamus; incertum admodum est, an aliud sit verè sanctius, an verè sit nobis conducibilius: nec facilè credēdum, diuinam sapientiam, quando ad eam primò cōfugisti, conuolasti, teque totum imbuendum tradidisti, vel etiam alterius viri boni & prudentis consiliis regēndum credidisti, aliud commonstrasse quàm quod tibi conuenientissimum esset, vnde nunc alia quæpiam non agitat consilia: non est inconstans Deus, primæ vocationis ingens in partem omnem est momentum, ab ea ne facilè recedas consulo. *Quàm constanter perstandū.*

Vocationém tamen eam intelligo, quæ integra sit & perfecta, ad id videlicet vitæ institutum, ad quod te vocat Deus, vt in eo ad vltimam vsque salutis metam decurras. Interdum enim pro ingenti bonitatis copia, nonnullos crediderim à Deo ad imperfectio- *Vocatio perfecta.*

Immatura, fectiora, puta matrimonium, vel beneficiũ Ecclesiasticum, vocari, vt cùm ibi, vbi multum sibi commodi quietisque spondebant, plurimis rebus aduersis, angoribus, atque perturbationibus conflictati fuerint, & nihil ex voto cesserit, fastidiant quod amauerant, ament, & adspirent, ac aliquando auidè suscipiant, quod exhorruerant, lætique in Statu perfectiore perseuerent, ad quem subeundum nisi mali experimento edocti, numquam animum adiecissent. Igitur hi in primo illo suo Statu, reverà sunt à Deo collocati, sed vt erudirentur tantùm, vt ad meliora aptarentur, ac suo tempore sanctiori vitæ maturescerent. Sed præterea, crediderim esse nonnullos, quos neque in infimis neque in summis collocari expedit, mediis aptiores, Ecclesiæque atque publicæ hominum societati vtiles, à qua diuelli non expedit: atqui vel neque ad media illa satis apti, vel ab illis nimis abalienati sunt, ergo ad summa eos vocat Deus, verùm ad tempus tantùm, vt hinc ad proxima honestior & gratior sit receptus: ita fit vt cùm ad cælibem tantùm vitam vocetur quispiam, vehementer eam refugiat, vel coniugalem, vel Religiosam ducturus, ergò ad Religionẽ vocare videtur Deus, & verè vocat, sed ad tempus, vt inde diuulsus, ad cælibem cupidè

Moderatè componẽs,

dè & pacatè se conferat, in eaque sit inde conformatior, quòd amplioribus in Religione ad omnem virtutem firmamentis instructior euasit. Sunt & aliæ, nec leuis momenti rationes, cur eiusmodi quędam vocationes temporariæ. sint, & non exiguum ad æternæ gloriæ consecutionem, vel boni communis rationem conducant, minimeque trepidandum sit cùm de eligendo vitæ Religiosæ instituto agitur, in quo deperdere nihil, multum eluctari potes. *Merè temporaria.*

Quæres denique, Cuiusmodi sit id iudicium seu notitia de Status cuiuspiam bono, quam me sequi oporteat. Iam hoc ipsum capitis huius initio indicaui, vtque clariùs intelligatur, varia iudicia, seu multiplicem esse cognitionem, obseruãdum est. Quamdam quæ in sola cognitione insistere videtur, & amorem atq; approbationem, nonnumquam etiam admirationem rei parere, cuiusmodi est omnis illa boni cognitio, in qua nihil proponitur agendum, ac etiam iudicatur id bonũ non licere. Eiusmodi est viro coniugato, Religiosorum amor; viro Religioso, eleemosynæ suis è bonis distribuendæ, pia desideratio, affectus & approbatio eorum quæ in alio vitæ genere fiunt, ad quod tamen neque adspirat, neque adspirare potest. Huiusmodi quoque multæ *Iudicium cognitiuu.*

in animum cogitationes incurrũt,de rebus eis quas à nobis fieri par esset, at de iis agendis nihil in mentem venit,vt si mihi succurrat,Pręclarum esset animum vincere,id virtutis opus peragere, ibique in hoc solo hæreo,nec ad agendum pergo,imò ne quidem de agendo cogito: quod cogitationis genus informe est & inchoatum, subitoque medio in cursu quasi obrigescit. Sed homini virtutem perfectionemque adamanti ea cura incumbit, vt subinde in se animaduertat, cessationem exstimulet, agnoscatq; semen esse diuinum, ideò cordi commissum, non vt à volucribus infructuosum auferatur,sed vt cultura sollicitiore seruatum,fructum ferat opportunum.

Quid incitandum esset.

Eius generis sunt de præstantia cuiuspiam,quem suscipere possis, Status iudicationes,in quibus quid lateat,oportet extundere: si iudicas,Ille Status bonus est, perfectus est, ad salutem opportunus est: id etiam adiunge, an non mihi quoque conueniens,an non eò vocat Deus? Omnis probę actionis initium à mera cognitione ducitur, sed cognitionem instigare, & ad agendum perducere atque permouere oportet: sin minùs, otiosi defossores talenti, in pigrorum malorumque seruorum numerum referemur.

Sed

Sed aliud eſt iudiciorum & cognitionis genus, ad agendum inſtimulans, vrgenſque vt ad eam, quæ optabilior iudicatur, partem amplectendam, conatum cōferamus. Eiuſmodi eſt ea iudicatio, qua rationibus non ex vano ſumptis, iudicamus quempiam vitæ Statum maximè naturę noſtrę quadrare, de ſalute animi maiorem pręſtare ſecuritatem, ad Dei gloriam maiora promittere, ideóq; à nobis præ quouis alio Statu eligi debere, ſi rationi obſequi velimus. Quæ iudicia, quando nulla praua affectione nituntur, ſed potiùs ex æternæ vitæ deſiderio, Deíque ac Domini noſtri amore dimanant, proculdubiò à Deo ſunt, ad meliora & ſaluti conducentia ducente: eóq; magis audienda ſunt, ſi etiam inſtimulant, ſi aliorum etiam proborum atque probatorum Statuum ſuſcipiendorum cogitationem obliterant, in eius ad quem excitant profeſſione, tranquillitatem animi perſeuerantiámque promittunt, ni obſequamur minas intentant, perterrent; non conſcientiæ, non Deo ſatis iri factum aſſerunt. Has mentis incitationes audire, his obſecundare nos oportet, nec alio habendæ loco ſunt, quàm, vt à Deo colluſtrante, omnémq; hominem in hunc mundum venientem illuminante exortæ, noſtroq; cordi ſic immiſſæ, vt non tantùm lu- *Iudicium ad agendū impellens.*

men in eius lumine videamus, ſed etiam vt eius præſidio per eam, quam aperuerit, ad quam induxerit viam, ſecuri lætique ad æternæ beatitudinis præmia perducamur.

Inde ſecuritas obſequenti.

Cùm itaque piè ſapientérque de Deo ſentientibus certum ſit, omnem veri boniq́ue notitiam ab eo originem ducere, qui neminem fallat, maximeq́ue velit vt omnes homines ſalui fiant: nulla nobis eſt de vitæ traducendæ ſorte ſecuritas maior quærenda, quàm ſi purgato mentis oculo, ſincero in Deum affectu, id ſequimur quod videre, quod iudicare conceſſit. Huic enim (tamquam rei ſe auctore ſuſceptæ) fauere, hanc vitam ſuis præſidiis communire, prouidentia protegere, & ad finem beatum perducere omnino volet, & quod volet efficiet.

Animis opus.

Nullos hîc tibi Panicos finge terrores, animis maximè res agitur, animis victoria ſtat, adeſt Deus, propugnat, euincit: quàm id verum, docet Theodoſius extrema in ſenectute poſt plurimos in duriſſima vitæ ſeueritate labores exantlatos, de ſe hæc referre ſolitus: Verſabar, inquiebat, in ancipiti, quod vitæ genus ſectarer dubius, cùm ecce quiddam eiuſmodi mihi contigit. Vidi ætate florida iuuenem, ipſo ſplendidiorem ſole, qui mihi manu apprehenſo dixit: Veni, tibi decertandum & luctandum eſt; protinuſque

Exemplo probatur.

Sophron. cap. 66.

nuſque me in ingens amphitheatrum eduxit,quod quidem hinc cādidis induti plurimi,inde autem cingebant atrati:·& horum quidam gigās erat, ingens & Æthiops, cui caput eminebat celſius nubibus: In hunc gigantem (inquit iuuenis) tibi eſt, Theodoſi,depugnandum. Hìc ego, vel ſolo territus aſpectu,trepidare,latebras fugæ quęrere,excuſare, Domine mi,egóne vt aduerſus hanc molem inſurgam? quis id auſit vnus, quod ne quidem, in vnum ſi conuenerint omnes homines,auſint? Inſtat iuuenis ille ductor meus, Animis eſt opus,inquit,aude, alacriter & fidenter incipe, confeſtim adero,victoriam dabo,coronam proferam. Ergo reſumpſi animos, propiùs ad hoſtem quaſipugnaturus acceſſi,cùm ecce,ſtrenuus ille dux ſeſe obijcit medium,gigantemque, & totam illam atratorum cateruam, frementem, & inconditè vlulantem in effuſam fugam conijcit, & ad me conuerſus, meo capiti quaſi victori coronam impoſuit, accinente ſumma cum ſuauitate toto albatorum choro.

Intellexit quidnam id viſi ſibi vellet Theodoſius,nempe audendum eſſe, cetera præſtaturū Deum; itaq; deſpretis omnibus exercitam laboribus,paupertate,inedia,precationibus,vitam in eremo perduxit.

CAPVT XXVIII.

Quod deliberatum fuerit, quomodo peragi oporteat.

PRÆSTITI, quantum opinor, quod initio promiseram, & quæ ad deliberationem de vitæ Statu facerent, si ratiocinando initur, explicatiùs tradidi. Verbum addo, ne ex abrupto & necdum vlli rei applicitum, festinantius, quàm amantius sibi reliquisse videar.

Cauenda segnities: Cùm igitur de ineundo vitæ Statu benè constitutum est, (est autem benè constitutum, quando recta & benè perpensa ratione stabilitum est,) cauendum præ ceteris, ne illius susceptionem vlla segnities, aut inimica præclaris ausis tarditas moretur, sed statim vt opportunum, & ex recta ratione fuerit, omni temeritate & prauo affectu seposito, initum consilium maturare contende.

Et laxior libertas. Cauendus quoque stolidissimus quorumdam error, eò magis otiari, vagari, bacchari, furere audentium, quò saniora fugiendæ liberioris vitæ consilia susceperunt. Orat. 1. de Ieiun. *Nec ad iustitiam per fraudationem, nec ad temperantiam per proteruitatem, nec ad virtutem iter est per vitium,* Magnus inquit Basilius. Quis fidum Regi sacramentum dicturus,

ctūrus,priùs ad hostes fugit, vt nobilis inde transfuga redeat? Quis vt vulneri medelam faciat, vltrò se grauioribus inimicorum plagis confodiendum obijcit? Quis prudẽs, ea quæ damnat & execratur, præ ijs amplectitur, quæ summo conatu honestissimè atque sanctissimè perquirenda iudicauit? Quid igitur? suscepto perfectioris vitæ desiderio, liberiores cupiditatibus frenos laxas? epularis, iocaris, genio indulges, consueta pietatis exercitia remittis? istúdne est esse Deo gratum? ista tua sunt sacra primordia? *Annon quorum primitiæ reiiciuntur, in his quoque reiiciendum est totum?* Tardarunt generi Lot, & vindex eos ignis absumpsit. Tu non tardas tantùm, sed in contraria raperis, & securum te putas? Quantò prudentiùs, qui insanientis sęculi procellas vidisti, magna tibi sedulitate prospiceres pietatis exercitiis, & ex Apostoli consilio, *Vocationem tuam bonis operibus certam faceres.* Idem Orat. 2. de Ieiun.

Sed quoniam pro certo sumo, tui consilij auctorem fuisse Deum, fuisseque tibi primam & maximam virtutum quarumdam præcipuarum, salutis æternæ, & perfectionis amplioris curam: eas velim vt diligenter & sigillatim obserues, caueasque ne vel obliuione, vel rerum in quas longiùs inuehêris, amore illabente, aliorsum vmquam feraris, *Obseruanda, salus, perfectio, virtutes pro scopo proposita.*

viteque tuæ destinationem ritè occœptam, malè obliques.

Has describe vt versentur ob oculos.

Quod ne accidat, suadeo, vt susceptæ vitæ tuæ scopum, breui paucarum lineolarum periocha comprehensum, describas, & in perpetuam tota vita memoriam asserues: certumque tibi in menses, aut annos singulos, tempus statuas, quo seuerè & acriter super hoc, in te ipsum quæstionem exerceas. Clariùs edicam:

Vt in matrimonio,

Ad matrimonium animum induxisti? Describe paucis, quid te potissimè ad id cõpulerit: quas in eo vitæ genere virtutes adamaris, quæ vitia cauere volueris, quæ rectè facta præ ceteris exercere, quosnam præuideris scopulos, & quomodo, ac quibus adhibitis, tutus pręternauigare voluisti. Quid erga vxorem, quid erga liberos, quid in re familiari, in temporis ratione, occupationũ modo, cognatorum & familiarium conuictu, obseruare statueris: priuata tua vel Reipub. munia, qua fide, integritate, accuratione tractare decreueris. Hæc, & si quæ huius generis, cùm breui summa concluseris, annuatim saltem duos tréſve dies eligas, quibus seriò in id incumbas, vt viro bono, sancto, & prudente, nihilq; tibi adbláditurо, in tui consilij communionem adhibito, videas numcubi à recto illo proposito recesseris,

Quid spectabas.

Quàm bellè id præstas.

ſeris, pleneq; quod tui fuerat officij præſtiteris: ac deinceps in annum inſequentem, te ad meliora prouoces, & rationibus probis inſtruas.

Idem facias velim, ſi ad Eccleſiaſticam & cælibem vitam animum adieciſti. Deſcribe, quod tibi virtutum patrimonium, & quàm amplum in iſtius negotiationis genere comparare, quæ diligentiori cura declinare deſideres: quę ſint iſtius officij partes, quid exigant, quánta præſtandæ ſint cura, qua fide, qua induſtria. Quæ cùm benè accuratéque deſcripſeris, certum, vt in ſuperiore dixi, tibi ſolemne ſpatium inuiolabiliter obſeruandum decerne, quo diligentiùs exquiras; an omnes officij tui partes expleueris, ſitne aut recidendum, aut addendum, vſpiámve reparandum quidpiam. *In cælibe vita.*

Id ipſum haud minùs vtile Religioſam vitam profeſſuris crediderim: pronũ enim eſt vt ad celſa tendenti, longæ, ac ſubinde anfractuoſæ viæ tędium obrepat, conatus laxetur, & à contentione ad remiſſionem receptus captetur. Quod ne fiat, & ne vmquam primi propoſiti feruor intepeſcat, obſeruandus & fideli chartæ mandandus, primæ vocationis quantus ardor illuxerit, quàm longè perfectionis immenſæ cupiditatem nullo limite protenderit, quàm ardẽs *In Religioſa.* *Cuiuſmodi primitiuus feruor.*

fuerit Christi Domini sequendi, crucem ferendi, Sanctos imitandi desiderium, quãtopere honores, diuitias voluptatesque despreuerit, quantum rerum periturarum, licentiæ, libertatis, atque sociorum tædium, quàm impatiens ad abrumpenda huius seculi retinacula festinatio, quàm ab omni consanguinitate secretus animus, quanta in Religiosorum singulos reuerentia, & despicientia sui, quàm ad infima omnia in perpetuum paratus, quàm nihil omnino in imperiis discriminans, cuicumque vbicumq; obedire promptissimus: & id genus potissima perfectionis olim sperandæ, & à primis initiis adamatæ semina.

Inquire quæ cauenda, quæ acquirenda, in quæ facilius incidatur, quæ comparentur ægriùs.

Sed quò vtiliùs & Instituto suo accommodatiùs id fiat, suaserim vt à perito spiritualis vitæ magistro consilium & auxilium petatur, qui ea maximè obseruari curet; quæ consulentis naturæ seu ad cauendum, seu ad conquirendum magis conducent; quæ item longo vsu, & aliorum obseruatione didicerit, in eo vitæ genere aut faciliùs perfectionis nitorem obscurare, aut tam esse sublimia, vt à paucioribus, & ægrè, ad eam virtutis celsitatem fortiter constanterque tendatur.

Quid in eo vita genere summum.

Præscribat etiam hic idem, qua compendiosiore & meliore via, ad summum in eo quod arripuisti vitæ Instituto, perfectionis

nis apicem peruenire, qua inconſtantes humanæ naturæ remiſſiones intendere, & optatum ſanctimoniæ gradú adipiſci queas. Ita Deo dante fiet, vt redintegrato crebriùs primo impetu, ſanctoque & genuino vocationis tuæ ſpiritu conſeruato, vocanti Deo non ingratus, vocationi tuæ non indecorus viuas, tandemque decurſo feliciter, in quo te ſtatuerat Deus, vitę ſtadio, beatorum cœtibus lætus adſcribaris. Quod præſtet vtinam, vitæ reparator, viæ commonſtrator, præmiorum donator IESVS CHRISTVS, cui cum Patre & Spiritu ſancto æterna ſit gloria. Amen.

Vide de Perſ. Rel. præſid. lib. 8. c. 14.

Breuis, quo interdum nonnulli vti poſſunt, Elenchus eorum quæ ad vitæ degendæ electionem maximè conducunt.

QVONIAM *nonnullorum vel genio vel occupationi illa ipſa, quam ſecuti ſumus, breuitas, prolixior videbitur; & aliis, qui omnia perlegerint; non erit ingrata breuis quædam comprehenſio, quæ ob oculos potiſſima dictorum ponat, vtilitatis latiùs manaturæ ſpe, quæ ſequuntur ſubiiciam.*

Axiomata fundandæ & regendæ deliberationi necessaria.

1 PRÆ omnibus obsequar inspiranti Deo. *Sapiens corde est, & potens robore, quis restitit ei, & pacem habuit?* Iob 9.

2. Inspirat Deus, quæ ipsius voluntati magis consonant.

3. Voluntas Dei est, salus & sanctificatio nostra: neque verò qualiscumque, sed certior, sed abundantior.

4. *Quid prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* alia habeat, se perdat?

5. In huius vitæ momento honorari, & deliciari quid prodest, si probrosa dedecora, & summi quique cruciatus, me manent in æternum? Æternum, desiturum numquam.

6. Mihi ponam ob oculos iudicium Dei, præ quo nihili faciam quid obmurmurent aut contrà sentiant homines: nónne feliciter mecum agitur, si paucis hominibus displiceam; myriadibus sanctorum Angelorum, ipsique Deo placeam? quàm multi auari, dummodò vilis peculiolæ lucellum faciant, flocci faciunt quòd vulgi odium irritent, & hominum fabula sint?

7. Ad

7. Ad æterna creatus sum. Numquid non magnum est, STATVS ÆTERNVS? in æterno Statu, omnia æterna sunt: nec tantùm ęterna, sed æternùm summa, æternùm celsissima sunt. Quantum igitur futurum est, ibi præcellenti virtute, Statu perfectiore, ceteris eminere? Istud ne mihi, vel hominis, vel rei importuno vllo affectu eripi patiar?

8. Perfectius id putabo quod magis ex virtutę ęst. Virtutem verò, (cùm sit constās animi habitus) non æstimabo ex externa sola specie, quæ depopuletur internam. *Omnis enim gloria filiæ regis ab intus. Et* Psal. 45. *quod hominibus altum est, abominatio est* Luc. 16. *apud Deum*, dixit in simili Veritas Deus.

9. Obseruabo, illud esse magis ex virtute, non quod magis ex arduo incipit, & deinceps multa faciliora & liberiora indulget, sed illud quod firmiore vestigio progreditur, & vsque ad extremum eidem inuariato tenori insistit.

Duo postrema, sunt instar cautionis: septem priora Axiomata imbibēda, & animus obstinatè firmandus, vt ne vmquam ab illis vllo affectu vel terrore deflectat: quam ad rem conferet, si singula seorsim, seriò, & plures dies discutiantur, animóque ita cōmendentur, vt illi penitissimè insideant.

Quid-

Quid à se quemque sciscitari oporteat.

1. Horvm Statuum, quem Deo putem esse gratiorem?
2. Quem animæ meæ securiorem, & proximis vtiliorem ad salutem puto?
3. Imminente morte, vbi meritò vixisse me mallem?
4. Quo de Statu faciliùs rationem Deo reddam?
5. In hoc ancipiti vitæ biuio, mundíne, an Dei consiliis tutius est credere?
6. Vtro in statu corporis, animíque talenta impendentur, perficienturque meliùs?
7. Vbinam ad omnem perfectionem, solidiùs instruar, certiùs manuducar?
8. In quo, horum Statuum plus mihi spei affulget, fore vt perseuerem?
9. Cùm nihil sit Christi & Sanctorum imitatione melius, quo in Statu similior illis fiam?
10. Si amo te, bone Iesv, pro me crucifixe, nihílne amori tanto rependam. In quo ergo statu me tuum tibi redonabo perfectius?

Te ipsum quasi in iudicij diuini luce constitue, vbi omni affectu seposito, sit soli Deo ex recta ratione respondendum: & quod sincera mente constitueris, id ad extremum vsque retineto.

tineto. Quæ tibi ad ſingula interrogata reſpondenda occurrãt, ſi ad Statum vnum collimant omnia, non eſt cur de eo ſuſcipiendo dubites. Si verò ex quibuſdam interrogatis, hæres, vacillas, aut nuſquam duceris, ex aliis verò clarè & ſolidè ad meliora promoueris, id ſatis eſſe debet: nec enim ſinguli, vel ſingula capiunt, vel quibuſuis permouentur; vnica benè dilucida face, nocturnas ad viam capeſſendam tenebras clareſcere ſatis eſt. At, ſi contingat ex diuerſis in diuerſa motus excitari, de momento & pondere rationum inter ſe aduerſantium ritè iudicandum erit, valdeq́; conſultum fuerit, non tuo vnius iudicio ſtare, ſed viri prudentis, maximeq́; Confeſſarij dictis acquieſcere.

Scopuli aliquot, deliberationis viam ſemper aſperantes, nonnumquam & penitùs intercidentes.

PRIMVS.

DIFFIDENTIA, & ſui occultatio, in eos qui ſincerè volunt & poſſunt benè nobis conſulere.

REMEDIVM.

Fili, ſine conſilio nil facias, & poſt conſilium non pœnitebit. Eccli. 32. De illo verò, qui non ſincerè, ſed fucata, & præiudicio firmata mente

Ezech. cap. 14. mente Deum interrogat, pronuntiatur: *Ego Dominus, respondebo ei in multitudine immunditiarum suarum, vt capiatur in corde suo:* iustum enim est, vt cùm subdolè tua explices, *Spiritus sanctus*, qui in simplicitate cordis quęrendus est, *effugiat fictum.*

SECVNDVS.

Inueterata ad quempiam Statum affectio, quæ sola persuasione, aut conuictu, aut familiaritate, & non ratione nititur.

REMEDIVM.

Ratio lux est nostra. Qui affectum, non rationē sequitur; lucem relinquit, tenebras diligit. In tenebris offendere procliue est.

TERTIVS.

Hanc solam sequi quasi certam normā; Si saluari in tali Statū possū, benè est, satis est.

REMEDIVM.

At quærendum, vbi securiùs & maiore cum gloria saluabor? estne viatorum quisquam vsque eò dementatus, qui relicta via plana, munda, secura, se committat incertæ, dum saltem eiusmodi sit, vt fortè per illam peruenire domum possit, quantumuis serus, lassus, lutosus, aut multa vulnerum, ab incubantibus prædonibus inflictorum, cicatrice deturpatus?

QVARTVS.

Timere, quid dicent hi & illi.

REME-

REMEDIVM.

Time, quid dicet, improperabit, iudicabit Deus? quid Sancti, quid Angeli?

QVINTVS.

Prætexere fiduciam in Deum, suique incurium esse, iactando, Omnia Deo committo, contentus ero quocumque, quem mihi obtingere permiserit Statu.

REMEDIVM.

Multa abominanda permittit Deus, multosq; damnari, qui bona sciunt & negligunt. Vult manum operi admoueas: & qui te sine te creauit, te sine te non saluabit.

SEXTVS.

Sollicitè obseruare potiùs quò ferant motus, quàm quid ratio doceat.

REMEDIVM.

Rationis imperium homini à Deo datum est, vt sit Regula actionum, deliberationumque omnium, & ei omnes appetitus motiones pareant.

SEPTIMVS.

Hærere in ancipiti, nullam sibi vim inferendo, & finem dubitationi, certa determinatione non imponere.

REMEDIVM.

Regnum cælorum vim patitur; & violenti rapiunt illud. Matth. c. 1. Vidésne, vim sibi inferendam esse? quis ex tenui & humili fortuna, ad

magnas

magnas opes aut honores sine labore euectus est? tu, sine sudore sortem filiorum Dei, consequi te posse speras? *Vtinam frigidus esses, aut calidus! sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius.*

Apoc. c. 3.

OCTAVVS.

Trepidare & perterreri, quasi melioris vitæ perfectio eousque sit ardua, vt eam profiteri non ausis, & de perseuerantia propè desperes.

REMEDIVM.

Hoc deiectioris animi telo pęnè prostratus iacuit meliora voluens Augustinus: semisauciam, parte cadente, parte assurgente, versabat voluntatem, hęsitans mori morti & vitæ viuere: donec audiuit clamantem; *Quid in te stas, & non stas? Proijce te securus in Deum. noli metuere, non se subtrahet vt cadas. Proijce te securus, excipiet te, & sanabit te.* Ita de se ipse confitetur. Qui dedit nosse meliora, dedit vt velis, dedit vt perficias: opera enim Dei perfecta sunt, & dona eius sine pœnitentia. Vtinam & nos quoque perfecta conemur, & neque te, neque me, bonorum vmquam, sed semper & perfectè pœniteat malorum!

INDEX

INDEX CAPITVM.

PRÆFATIO. Pag. 10
CAP. I. *Quid sit Status vitæ.* 19
CAP. II. *Quanti sit momenti, eum vitæ Statum qui homini conueniat, nactum esse.* 21
CAP. III. *Qui vitæ Status re ipsa conueniat.* 25
CAP. IV. *Esse de vitæ Statu deliberandum, & quid illud sit.* 28
CAP. V. *Sintne aliqui à deliberatione de Statu vitæ repellendi.* 34
CAP. VI. *Quandónam de Statu vitæ deliberandum.* 36
CAP. VII. *Posse facilè dignosci quis nobis conuenientior sit vitæ Status.* 45
CAP. VIII. *Quem in deliberatione de Statu vitæ finem spectare oporteat.* 49
CAP. IX. *Expenditur hominis finis.* 54
CAP. X. *Quanti finis ille, siue salus nostra facienda sit.* 67
CAP. XI. *Quàm leni via ad conuenientem vitæ Statum ducamur, & quàm sit sequenda.* 75
CAP. XII. *Quanti sit periculi, diuinis inspirationibus haud obsequi.* 85
CAP. XIII. *Quæ sit neglectarum Dei inspirationum pœna.* 98
CAP. XIV. *De indifferentia.* 106
CAP. XV. *De cogitationum origine.* 119
CAP. XVI. *Vndénam cogitationes à Deo profectas agnoscemus.* 127
CAP. XVII. *Quæ cogitationes ad matrimonij commoda, vel honorum gloriam ducant.* 135

Q CAP.

CAP. XVIII. *Quæ cogitationes à dæmone, malóve fonte dimanent.* 147
CAP. XIX. *Quædam in vitæ Institutis incommoda perpendenda.* 154
CAP. XX. *Quædam Statuum commoda.* 162
CAP. XXI. *Quædam in Statuum incommodis & commodis obseruanda.* 168
CAP. XXII. *De Statuum inter se contentione.* 173
CAP. XXIII. *Affinia quædam, quæ ad Statuum discrimen & electionem faciant.* 182
CAP. XXIV. *Ad ipsam electionem quomodo accedendum.* 198
CAP. XXV. *Electionis confirmatio, vel diligentior exploratio.* 212
CAP. XXVI. *Quamdiu deliberandum sit.* 216
CAP. XXVII. *Quanta sit in Vocationis cognitione securitas optanda.* 217
CAP. XXVIII. *Quod deliberatum fuerit, quomodo peragi oporteat.* 228
Elenchus eorum quæ ad vitæ electionem maximè conducunt. 233
Axiomata fundandæ & regendæ deliberationi necessaria. 234
Quid à se quemque sciscitari oporteat. 236
Scopuli aliquot deliberationis viam semper asperantes, nonnumquam & penitùs incidentes. 237

AP-

APPROBATIO CENSORIS.

THEOPHILI BERNARDINI è *Societate* IESV *Institutio vitæ, siue Certa de optimo vitæ Statu deliberandi via*, prudens & securum in illo negotio, ex quo vita pendet æterna, exhibet consilium: quare librum hunc dignissimum iudico qui typis editus à pluribus legatur & perpendatur. 8. Ianuarij, anno 1624.

Egbertus Spitholdius S.T.L. Canonicus & Plebanus Antuerpiensis.

LICENTIA SVPERIORIS.

EGO infrascriptus Prouinciæ Gallo-Belgicæ Societatis IESV Prouinçialis, potestate mihi ad hoc facta à Reuerendo admodum P.N. Generali, facultatem concedo vt liber qui inscribitur *Vitæ Institutio, siue Certa de vitæ Statu deliberandi via*, à R.P. THEOPHILO BERNARDINO conscriptus; eiusdemque Societatis Patrum iudicio approbatus, typis mandetur. Datum Insulis 16. Augusti, 1623.

Florentius de Montmorency.

Q 2 SVM-

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPI IV. Hispaniarum Regis Catholici, & Potentissimi Belgarum Principis priuilegio cautum est; ne quis THEOPHILI BERNARDINI è *Societate* IESV *Institutionem vitæ, siue Certam de optimo vitæ Statu deliberandi viam*, præter Balthasaris Moreti voluntatem vllo modo intra sexennium imprimat, aut alibi terrarum impressam in Inferioris Germaniæ ditiones importet venalémve habeat. Qui secùs faxit, confiscatione librorum & alia graui pœna mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, xxx. Maij. M. DC. XXIV.

De VVitte.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXIV.


LABORE ET CONSTANTIA